

8  
M  
K  
P





III. 17.

~~00~~ ~~100~~

M. a. 34  
1

00  
sp

Pa. vi

~~12~~. 92.











Reverendi & Clarissimi viri

**BEDÆ PRES**

**BYTERI AXIOMATA  
PHILOSOPHICA.**

**EX ARISTOTELE**

aliisq; præclarissimis Philosophis  
summo studio & industriâ juxta seriem Al-  
phabeti concinnata, adjectis brevibus &  
succinctis eorundem explica-  
tionibus.

**NUNC IN GRATIAM ET**  
*usum studiosorum sincerioris philosophiæ se-  
orsim edita.*



**ANNO M. D. XCVIII.**





*Lectori Benevolo S.*

**V**enerabilem Bedam, Candide  
Lector, acerrimo & divino præditum  
fuisse ingenio, ecquis inficiari potest?  
quum id præclara egregiaq; ingenii eius  
monumenta posteritati relicta, satis abunde testa-  
tum faciant. Quamobrem cum mihi nuper ex ope-  
ribus eius quædam excudenda à quodam amico  
offerrentur, operepretium me facturum existimavi, si  
eadem in communera usum typis mandarem. In-  
ter cætera verò minimè locum postremum Axio-  
mata ejusdem Philosophica obtinere vidēs, eadem  
igitur nunc in publicum prodire volui. Neq; verò  
hoc meum institutum à quoquam usque adeò im-  
probatum iri confido, cum solum juvandi studio  
laborem hunc lubens in me receperim. De jucun-  
ditate porro & insigni horum Axiomatum utilita-  
te, quid refert hîc prolixius differere. Si enim u-  
sum eorum requiris, eundem sanè in disputationi-  
bus maximè perspicias: Si jucunditatem, quid  
quæso potest esse jucundius eo, cujus beneficio in  
studiis Philosophicis cum fruge & utilitate benè  
ac feliciter versari convenit. Sed longior sum, quam  
initio proposueram. Nihil jam dicam de utilita-  
tibus reliquis. Taceo quoq; horum Axiomatum  
ignaros, studia philosophica inutiliter tractaturos  
esse. Hæc sunt, Benevole Lector, de quibus te loco  
præfationis commonefaciendum duxi, majorem  
in modum rogans, ut ea quæ damus tecumq; com-  
municamus æqui boniq; consulas, & sine præjudi-  
cio ullo hæc legas. Vale.

L57





AXIOMATA  
Philosophica,

# VENERABILIS

BEDAE, EX ARISTOTELE  
ET ALIIS PRAESTANTI-  
bus Philosophis collecta unà cum brevibus  
quibusdam explicationibus ac limi-  
tationibus.



DEO dependet cœlum & tota  
natura, 12. Metaphysicorum.)  
Illa auctoritas sic intelligitur,  
quod cœlum & tota natura de-  
pendent à Deo, & quo ad fie-  
ri seu produci, & quo ad con-  
servari. Secundùm Aristotelē  
tamen, qui falso opinatus est materiam primam  
esse Deo coeternam, & ipsum mundum fuisse ab  
æterno, intelligitur duntaxat quoad conservari, nō  
autem quoad fieri. Materia enim prima secundùm  
ipsum non est facta nec mundus, sed fuere ab æter-  
no: Nisi fortè dicendum videatur, & secundùm  
Aristolem materiam & mundum à Deo fuisse pro-  
ducta non quidem de novo & ex nihilo (juxta i-  
psum enim ex nihilo nihil fit primo Phys. tex. 33.  
& 34. & in 7. Metaph. tex. 22.) sed per simplicem  
quandam

A 2

quandam



quandam emanationem seu naturalem quandam processum, qualem nos verissimè credimus solum in personis divinis.

*Actus separat & distinguit, 7. Metaphys. & 3. de Anima.)* At quandoque aliqua distinguuntur, non solum per formam, verum etiam per materias, dantur enim materiae propriae, sicut & formae propriae. Respondetur sensum esse, quod materia benè separat & distinguit per actus inclusos, quia materia ex sui natura nullius est activitatis, Vel meliùs & brevius, Actus separat & distinguit. f. principaliter.

*Arguendo ab esse ad posse, bona fit consequentia.)* Intelligitur hoc axioma sic: Arguendo affirmativè & sine distributione & sine dictione includendo negationem. Unde non sequitur, A est maximum corpus, quod est, ergo A est maximum corpus, quod potest esse, consequentia non valet, quia antecedens potest esse verum sine consequente.

*Album fit ex nigro, musicus fit ex non musico 1. Phys.)* Ibi dicitur quod ex importat circumstantiam ordinis. sed quando dicitur lignum debet componi ex suis medietatibus, ibi Ly ex, importat circumstantiam temporis.

*Album de per accidens est quantum, per Philosophum in Prædicamentis.)* Ibi dicitur quod Philosophus vult, quod ille terminus Album ponitur in prædicamento Quantitatis, de per accidens. Albedo enim per se ponitur in prædicamento Qualitatis, ratione albedinis verò ponitur ibidem id quod album est.

*Agente eodem modo existente, & materia, erit idem effectus, 2. Metaphys.)* Intelligitur sic, tam de agentibus principalibus quam instrumenta-  
talibus,



talibus, ita quod sit omnino idem agens, & idem passum eodem modo dispositum, tunc non fiunt diversi effectus, sed unus tantum.

*Appetitus materiae, non est nisi motus ad formam, Commentator 1. Physicorum.*) Responderetur quod Commentator capit motum valde large sive improprie, videlicet pro naturali inclinatione.

*Aliqua res naturalis distinguitur ab artificiali 2. Phys. in principio*) Dicitur ibi, quod Philosophus loquitur ibi indefinite vel particulariter, & sic illa est vera: vel dicitur, quod solum voluit, quod res naturales differant ab artificialibus ratione & non re, quia eadem est res.

*Alchimiste dicunt quod ex ferro vel cupro potest fieri aurum per eorum artem.*) Vbi dicitur, quod ex ferro vel cupro fit aurum vel argentum apparenter, non autem existenter. Et ratio est, quia per nullam artem forma substantialis potest poni in esse specifico alterius formae.

*Ars simpliciter facit materiam. 1. Phys.*) Dicitur quod intelligitur de materia secunda, non autem de materia prima; quia materia prima non est facta, quia est ingenerabilis & incorruptibilis, ut patet ibidem.

*Accidentis non est accidens, 4. Phys.*) Intelligitur sic, accidentis non est accidens tanquam subjecti originalis: & sic stat bene, quod albedo est in superficie, quae etiam est unum accidens, & linea habet rotunditatem & corruptibilitatem, sed hoc non tanquam subjectum originale, quia originaliter est in substantia.

*Accidens definitur per subjectum suum, 7. Metaphys.*) Et sic album est subjectum, habens



sufficientem albedinem per sui denominationem. Et intelligitur sic definitione descriptiva, non autem essentiali: quia oportet quod talis detur per verum genus, & per differentiam essentialem. Et talis indicat quid est esse rei; ut patet 1. Topicorū.

*Anima quantum ad partem intellectivam, nullius corporis est actus, 2. de Anima.*) Scilicet subjectivè dependens à corpore. Sic enim tantum dependet secundum partem sensitivam & vegetativam.

*Actui repugnat accidere actum, per Averroem in substantia orbis.*) Respondetur quod actus substantialis non potest recipere alium actum substantialem, sed benè accidentalem.

*Arca non est lignum. 9. Metaphys.*) Respondetur quod Philosophus ponit modum loquendi vulgarium. Vel potest dici quod ipse vult, quod totum compositum non verificatur de sua materia. Et ideo vult quod arca non est lignum tanquam sua materia, quia aliàs totum esset sua pars, & è converso. Vel potest dici, quod Philosophus vult, quod materia non dicitur de toto composito in abstracto, sed benè in concreto; ut arca est lignea.

*Actus sunt suppositorum, 1. Metaphys.*) Respondetur quod Philosophus vult quod actus sunt suppositorum denominativè, cum hoc tamen bene stat, quod non sunt suppositorum effectivè.

*A primis substantiis nulla erit predicatio, per Philosophum in Prædicamentis.*) Respondetur quod intelligitur à primis substantiis, nulla erit predicatio, quæ est superioris de inferiori, quia primæ substantiæ non habent inferius saltem essentialiter in prædicatione vera, directâ & affirmativa.

*Animal*



PHILOSOPHICA

*Animal est animan:ius planta. Autor sex principiorum cap. 3. de passione.)* Quod intelligitur sic: Animal est perfectius animatum quam planta. Vel dicitur quod animal plures habet potentias animae quam planta; quia animal habet potentiam vegetativam & sensitivam, planta autem caret sensitiva

*Anima vegetativa est animarum prima, 1. & 2. de anima.)* Ibi dicitur quod Philosophus loquitur de communitatis prioritate, non de prioritate perfectionis, & vult quod in pluribus reperitur anima vegetativa, quam sensitiva vel intellectiva.

*Actus activorum sunt in patiente predisposito, in 2 de anima.)* Intelligitur sic: si aliquid activum vel agens debet actum aliquem agere, vel producere aliquem effectum in ipso patiente, tunc oportet ipsum patientem esse bene dispositum ad illum actum suscipiendum: sicut enim ex nihilo nihil fit, sic nec ex quolibet quodlibet.

*Ab insufficiente nihil fit, 1. Phys.)* Intelligitur ab insufficiente nihil fit de solo, sed cum addito superiorum & insufficienti bene aliquid fit.

*Anima est abstracta à corpore, per Commentatorem 3. de Anima.)* Intelligit Commentator Averroes sed falsò, Animam intellectivam non esse formam hominis informantem, sed tantum assistentem, nec dantem esse sed tantum operationem hoc est intellectionem. Iuxta veritatem autem sic debet intelligi, quod tametsi anima intellectiva essentialiter sit actus informativus corporis, tamen neque in fieri neque in esse dependet à corpore ( creatur

A 4. enim



enim ex nihilo & potest separari à corpore ) neque in operatione sua propria, hoc est, intellectuione communicat cum corpore tanquam subjecto aut instrumento.

*Accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum, quod quid est, 1. de Anima.* ) Illa auctoritas secundum Themistium de accidentibus per se & propriis intelligitur, quia dicit. Non enim dicit idem Aristoteles, cognosco ignem per fumum sed per calorem. Etiam intelligitur de accidentibus communibus secundum se sumptis, & ad invicem combinatis: ut, cognosco Socratem, per illa accidentia simul sumpta & combinata, scilicet habens rufos crines, & est albus, habens nigrum caputium, blancam tunicam.

*Accidentium non est scientia demonstrativa, 1. Posterior. cap. 6. tex. 18.* ) Verum est hoc in accidentibus quæ non sunt per se & propria.

*A proportione minoris inæqualitatis non fit actio* ) Notandum quod duplex est proportio. Vna est proportio quantificativa mediante, qua vnum extensivum quantum alteri proportionatur: alia est proportio actionis, & de illa intelligitur auctoritas. Vnde corpus ad non corpus bene est proportio secunda, secundum aliquam virtutem, sicut inter corpus & Animam. Brevius & melius: à proportione minoris inæqualitatis non fit actio: scilicet non fit actio vincens, fit tamen reactio.

*Ars & scientia distinguuntur, 6. Ethic* ) Debet intelligi capiendo scientiam strictè solum pro habitu speculativo, & etiam capiendo artem strictè solum pro habitu practico. Sed capiendo illas æquè communiter tam pro habitu practico quam speculativo, tunc non distinguuntur.

*A majori*



*A majori debet fieri denominatio, 6. Phys. )*  
 Intelligitur de qualitatibus positivis, & maxime intensivis: non autem oportet de privativis fieri denominationem, sicut tenebræ denominant tenebrosum. Et valet tantum, sicut à majori, id est à digniori debet fieri denominatio.

*Actus & potentia sunt maxime contraria sive opposita, per Commentatorem, 1. de Anima. )* Intelligitur sic hoc axio: quod sint maxime opposita sive contraria, id est, communissimè opposita, quia dicit, quod circumeunt omnia predicamenta, & sic non vult quòd sint contraria propriè dicta.

*Ad corruptionem subjecti sequitur corruptio scientiæ, primo Posteriorum. )* Respondetur quod hoc intelligitur de subjecto inhaesionis, & non attributionis. Nam dato etiam quod corrumpatur rosa in hyeme, tamen attributa ipsius adhuc scientificè de ipsa cognoscuntur.

*Animal est prius homine, per Porphyrium. )*  
 Intelligitur in suppositione materiali, ut, Ly animal est prius homine, id est, ille terminus animal est communior quam homo.

*Accidentis non est esse, sed inesse, 7. Metaphys. )*  
 Intelligitur propriissimè, capiendo esse, & non communiter. Nam sic quoque extendit se ad inesse.

*Accidens non migrat de subjecto in subjectum, 7. Metaphys. )* Intelligitur de subjecto inhaesionis, & non attributionis seu denominationis. Vel dicitur quod verum est secundum numerum, non autem secundum speciem.

*Absurdum est simul querere scientiam & modum sciendi, 2. Metaphys. )* Illa auctoritas dupliciter intelli-

A S

intelli-



## A X I O M A T A

8  
 intelligitur: uno modo, ut in verbis stat simpliciter, & sic est vera sine glossa. Alio modo, si per scientiam intelligitur Metaphysica, & per modum sciendi Logica, tunc sensus est: Absurdum est simul acquirere Metaphysicam & Logicam, quia Metaphysica præsупponit Logicam: ergo Logica debet præsциri.

*Ad agens uniforme sequitur actus & effectus uniformis, primo de Cælo.*) Intelligitur dummodo agens totale concurrit uniformiter, tunc talis effectus saltem principaliter intentus manet uniformis.

*Ab eodem non possunt produci diversa specificè distincta, 2. de Generatione.*) Intelligitur ab eodem ente naturali non possunt procedere diversa & specificè distincta. Secus est de agente artificiali.

*Aurum est incorruptibile, secundum Alchimi-  
 stas.*) Intelligitur sic; aurum est incorruptibile, id est, valde durativum inter omnia alia metalla, quia durat ultra ordinationem humanam.

*A voluntate antiqua non procedit actio nova.*  
 Commentator 8. Physic.) Intelligitur sic, à voluntate antiqua, id est, à Deo non procedit actio nova, id est, novum volitum: quia Deus non incipit aliquid de novo velle: quia quicquid Deus voluit, ab æterno voluit. Unde etiamsi mundus factus est in tempore non tamen mutata fuit voluntas Dei. Ab æterno enim voluit, eum tunc fieri.

*Ad productionem effectus sufficiunt duo, scilicet voluntas & potestas, per Boet. de consolatione Philosophiæ, prosa. 2. lib. 4.*) Intelligitur non absolutè, sed limitatè, verbi gratia, ego volo



volo & possum legere, ergo lego, absolutè non valet: Sed bene valet, Ego nunc & pro nunc volo & possum legere, ergo nunc lego.

*A privatione in habitum impossibilis est regressus, per Philosophum in Prædicamentis.*) Intelligitur de illa privatione, quæ privat actum & potentiam simul: non autem de illa, quæ privat solum actum, quia ibi benè est possibilis regressus.

*Actio & passio sunt actus diversarum potentiarum, 2. de Anima.*) Ibi dicitur, quod diversarum potentiarum sunt diversi actus. Potentiæ enim distinguuntur per actus. Sed quia actio & passio sunt diversarum potentiarum, igitur sunt distincta; quod est contra Philosophum, 3. Phys. qui dicit; quod omnis actio est passio: patet antecedens, quia actio est actus potentiæ activæ, passio vero dicitur actus potentiæ passivæ. Respondetur quod auctoritas ista intelligitur particulariter, & non universaliter: quia actio & passio sunt idem materialiter, sed differunt formaliter.

*Ab abstracto ad concretum est bona consequentia, 2. Topic.*) Ibi dicitur quod verum est in prædicationibus quidditativis & essentialibus, non autem in accidentalibus, igitur &c.

*A simili causa in specie non procedunt diversi effectus, per Commentatorem, 9. Metaph.*) Respond. quod Ly idem capitur multipliciter: scilicet pro eodem in numero, in specie, in genere: modò à simili causa in specie benè procedunt diversi effectus numero, sed non specie, vel genere.

*Animal est substantia hominis & equi, secundum naturam communem, per Commentatorem 1. Metaphys.*)  
Et



Et si sic tunc natura communis esset ponenda. Ibi dicitur quod Ly est capitur in actu signato, sic quod ille terminus Animal significat substantiam hominis & equi, secundum naturam communem: id est, sub ratione generis, vel sub conceptu communi illi termino (animal) correspondente.

*Aqua alit ignem, 3. de Anima.)* Vbi dicitur quod aqua non capitur pro humido simpliciter, sed capitur pro humido pingui & subtili; quia hoc nutrit ignem, sicut videmus ad experientiam, ut butyrum, oleum subtile, vinum combustum. Et ultra debet intelligi de nutritione improprie dicta, quia nullum purum elementum nutrit.

*Accidentia dicuntur entia ad aliquid, 5. Metaph.)* Intelligitur quod accidentia non habent esse per se, nisi in comparatione ad aliquid, & ad subiectum.

*Accidentia assimilantur propagini, 5. Metaph.)* Intelligitur quod propago non est arbor, sed aliquid arboris à qua derivatur arbor: ita accidentia non sunt entia, sed entis, id est, substantiæ, à qua propagantur & oriuntur. 5. & 7. Metaphys.

*Animal constituitur ex corpore & anima tanquam a regente & recto. 1. Polit.)* Intelligitur quod in animali anima habet se ut regens, & corpus habet se ut rectum: quia est instrumentum animæ.

*Animalia mansueta digniora sunt alijs animalibus non mansueis. 1. Polit.)* Intelligitur in quantum animalia mansueta participant aliquo modo regimen. Sed si oppositum invenitur, secus est.

*Abstinentia cibi confert febricitanti sanitatem, 5. Ethic.)* Responderetur ideo, quia abstinentia est summa medicina. Et est communis regula Medicorum & vulgarium.

Actio



*Actio & passio non continentur sub invicem, 6.*

*Phys.*) Intelligitur, quod unum non prædicatur de alio; quia illa prædicatio non est bona, actio est passio.

*Ars imitatur naturam in quantum potest, 2.*

*Physic.*) Item illa auctoritas vera est, dummodo natura sit fundamentum illius artis.

*Ars acquisitiva, cibi est naturalis animalibus 1.*

*Polit.*) Intelligitur quod natura est sollicita ad providendum de cibis animalibus cum primo generat. Vel sic, quando aliquis aliquid acquirit quod natura requirit, tale acquirere est naturale.

*Actiones principantes non sunt bonæ de se, 7.*

*Polit.*) Intelligitur quod non sunt bonæ, nisi principans differat ab alijs in bonitate naturali & acquisita, in tantum, quantum vir differt à muliere, servus à Domino.

*Actiones justitiæ necessariae sunt in civitate, sed*

*non eligibiles, secundum se, 7. Polit.*) Ibi dicitur, quod per actiones justitiæ intelliguntur sententiæ & supplicia condemnatorum, & necessariae sunt in civitate: & tamen secundum se non sunt eligibiles, sed ut eò melius civitas gubernetur & salvetur.

*Actiones quæ sunt circa divitias & honores,*

*non sunt simpliciter eligibiles, 2. Ethicor.*) Ratio est, quia sunt quædam dispositiones ad bonum, & ad operationem bonorum, ut patet septimo Politicorum.

Animalia omnia alia ab homine sola naturali intentione habent suas actiones, ut colligitur ibidem, & quædam animalia parva habent suas actiones ex consuetudine, seu assuefactione ut canes: sed  
homo



homo inter animalia dirigit actiones suas secundum rationem, adeoque omnia alia animalia non tam agunt quam aguntur propter finem, solus homo etiam se ipse & sua in finem suum dirigit & ordinat.

*Accusans debet esse melior accusato, secundo Polit.*) Ratio quia officium accusantis est ostendere causas accusationis in adversario seu accusato. Etiam ideo, quia accusans habet se ut agens, accusatus ut patiens. Modò omne agens præstantius est suo passo.

*Actus intellectus & appetitus sunt ad invicem concordēs, 4. Ethic.*) Respondetur, hoc est verum de virtutibus moralibus.

*Affirmatio & negatio sunt in mente, 4. Ethic.*) Intelligitur sic, quod in mente, id est, intellectu practico sunt affirmatio & negatio, sed in appetitu est persecutio & fuga.

*Agricole magis appetunt lucrum quam honores 6. Ethic.*) Intelligitur, quod delectabilius est eis laborare, & lucrari quam principari & dominari.

*Agriculture possessio est maximè naturalis & iusta, 1. Oeconomicorum.*) Et hoc est triplici de causa. Prima est, quia ipsa non fit inhumaniter & bestialiter, vel cum peccato & violenter, scilicet cum offensione proximi. Alia causa, quia ab Agricultura sumitur nutrimentum tanquam à materia & tale nutrimentum est naturale. Alia potest esse ratio, quia Agricultura confert sanitatem, & superfluos & malos humores expellit.

*Amatio*



*Amatio generatur ex quadam consuetudine, 9. Ethic.* ) Ratio est secundum Albertum, quia amatio importat impetuosam inclinationem amoris, in ipsum appetitum, quæ inclinatio causatur ex consuetudine.

*Amicitia paternalis major est quam filialis, 8. Ethic.* ) Ratio est; quia parentes magis cognoscunt quam filij, qui sunt ex eis procreati, propter imperfectionem & cognitionem filiorum quam habuerunt, quando nascebantur filij.

*Amicitia conjugalis non solum est propter creationem filiorum, sed etiam propter virtutem, 8. Ethic.* ) Intelligitur quod amicitia conjugalis non est solum propter creationem filiorum, sed etiam propter virtutem veram, si ambo sunt virtuosus, quia vera amicitia non est nisi inter virtuosos juxta Aristotelem.

*Amicus est alter ergo, 6. Ethic.* ) Hoc est verum, non quo ad essentiam, sed quo ad ea bona quæ sibi homo vult & amico suo. Vel, quæ secundum effectum dilectionis representat quandoq; alterum: quia homo est condolens alteri in adversis, gaudet in prosperis sicut sibi ipsi.

*Amicus debet se tenere ad amicum, sicut gens ad urbem, 6. Ethic.* ) Hoc est verum, pro ut Ly sicut importat aliquam consuetudinem.

*Amicorum omnia sunt communia, 9. Ethic. & 2. Polit.* ) Hoc est verum ex consensu & favore non autem ex iure. Vel aliter: Amicorum omnia sunt communia, id est necessaria solum in necessitate capiendo Ly omnia distributive, quod tantum valet: quod quodlibet commune utile est commune illi qui est in necessitate positus, sic quod unus non potest ei prohibere. Vel  
intelli

cun-  
non  
ho-  
&  
ndo  
dere  
Etiã  
s ut  
suo  
cem  
rum  
ic )  
ctu  
titu  
ros  
eis  
na -  
s &  
au-  
r &  
icet  
ri-  
ria  
esse  
su-  
tio





intelligitur de utili victuali, quo ad ejus sufficientiam, non autem intelligendo quo ad alium usum.

*Amore venereo non est aliquem hominem possibile plures mulieres vehementer amare, 8. Ethic.)* Hoc est verum de amore qui attenditur in coitu, sed de vero amore dilectionis non habet veritatem.

*Amor divitiarum crescit in infinitum, 1. Polit.)* Hoc est verum, quo ad manifestationem actus: vel est verum de amore inordinato, non autem ordinato.

*Actus est melior & honorabilior potentia, 9. Meta. tex. com. 19.)* Intelligendum est hoc axioma in bonis: nam in malis accidit actum esse deteriolem potentia.

*Animal vigilans semper laborat, 7. Ethic.)* Intelligitur in aliqua operatione, non curando an talis operatio fit magna vel parva, bona vel mala.

*Ambobus existentibus amicis veritate nimirum & homine sanctum est præhonore veritatem, 1. Ethic.)* Intelligitur de amicitia vera & speciali, Amicus enim Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.

*Accidens & suum subjectum sunt idem numero, 10. Ethic.)* Intelligitur de accidente reali denominationis, & non inhætionis.

*Album solum qualitatem significat per Philosophum in Prædicamentis.)* Illa est vera in significatione formali, non autem in significatione materiali, quia ut sic significat substantiam & connotat qualitatem.

*Accidentis non est definitio, 7. Metaph. & 6. Topic.)* Sensus istius propositionis desumendus est ex alio axioma quod habetur in eodem 7. Metaph. Accidentia quidditatem quidem habent aliquam  
non



non tamen quidditatem simpliciter. Unde & definitionem habent quodammodo & quodammodo non habent. Nam si per definitionem inquit Averr. intelligatur illud quod dat quidditatem rei propriam sibi & convenit sine additamento, tunc definitio non erit nisi substantiarum: sin aliter accipiatur definitio generaliter videlicet prout est manifestatio conveniens naturæ rei, sive res illa sit per se & definiri plenè possit sine additamento sive non, tunc utique etiam accidentium est definitio non tantum descriptiva, sed etiam essentialis, ut: si dicas; Albedo est color disgregativus visus &c.

*Avarus & justus sunt circa bona, quæ sunt simpliciter bona, 5. Ethic.*) Respondetur eo loco vocem illam simpliciter non significare aliud, quàm quod bona ista externa sint bona secundum se: huic autem non obstat, quin eis abuti possimus, ita ut etiam mala sint nobis, sed non secundum se, uti dictum est, verum per accidens, videlicet ratione nostri abusus.

*Actio nature semper agit eodem modo, 2. Phys.*) Et sic videtur quod sensus nunquam decipiatur circa proprium sensibile, eo quod sensatio est operatio naturæ. Ibi dicitur quod Philosophus ponit differentiam inter operationem naturalem & fortuitam. Nam dicitur quod actio naturalis semper fit eodem modo: & illud dictum est intelligendum quod natura agendo circa eandem speciem cæteris paribus semper producit eundem effectum, sed actio fortuita nunc fit sic, nunc aliter: Hinc benè fieri potest quod aliquando visus erret, quando non ponuntur omnia requisita ad rectè videndum.

*Aliqua anima nullius corporis est actus, 2. de anima tractatu, 1.)* Intelligitur sic uno modo, quod

B

anima



anima nullius corporis est actus, qui est eductus de potentia materiae. & hoc sic est verum de anima intellectiva. Vel nullius corporis est actus tanquam instrumenti proprium, quia intellectus non indiget instrumento proprio vel organo corporali, vel sic: nullius corporis est actus, secundum inhaerentiam.

*Agens & patiens debent communicare in materia, 2. de Generatione.*) Intelligitur de agente proprio & patiente proprio. Sed intellectus proprie non patitur, sed improprie, quia passioe perfectiva seu salvativa ut loquuntur, patitur non autem alterativa & corruptiva. Deinde hoc axioma intelligitur de his quae reagendo patiuntur. Unde tamen si Sol & reliqua astra vere agant in haec inferiora, quia tamen non patiuntur in reagendo non est necessarium dicere ea communicare in materia cum his inferioribus.

*Ad principia non est ratio, per Commentatorem, 2. Top.*) Hoc debet intelligi de principiis mediatis, vel ad principia non est ratio approbativa a priori, licet ibi bene sit ratio a posteriori.

*Album non est substantia, sed quale, 4. Top.*) Dicitur quod verum est, quod album non sit substantia, id est, terminus substantialis quo ad significatum formale, sed quo ad significatum materiale.

*Ad idem non sequuntur duo opposita, 1. Prior.*) Intelligitur quod ad idem contingens non sequuntur duo opposita, sed bene ad idem impossibile. Et debet addi ad auctoritatem copulative vel conjunctive, quia ad unam propositionem bene sequuntur duo opposita disjunctive: ut bene sequitur, Homo currit, ergo homo currit, vel non currit.

*A plus*







singularis, vel terminus consequentis restrictus ad unum suppositum, ergo consequentia non valet. Homo est albus, ergo homo non est non albus, quia oppositum consequentis non repugnat antecedenti sed stat in veritate cum antecedente.

*Arguendo de negativo predicato finito ad affirmativam de predicato infinito, valet consequentia, 2. (S. i. pulchritudo.)* Ut Socrates non est niger, ergo Socrates est non niger, illa regula tenet verum, sed tribus conditionibus salvis. Prima quod arguatur in propositionibus deest, 3. adiacente. Secunda quod non arguatur à non distributo ad distributum, ergo non sequitur: Omne animal non est asinus, & omne animal est, ergo omne animal est non asinus. Tertia, quod semper in antecedente distribuatur prædicatum, ergo non sequitur: Omne animal non est, ergo omne animal non est, ergo omne animal est non animal, quia prædicatum non distribuitur in antecedente.

*Arguendo ab affirmativa de predicato infinito ad negativam de predicato finito valet consequentia, 2. (S. i. pulchritudo.)* Ut homo est non justus, ergo homo non est justus. Illa regula tenet veritatem salvis tribus casibus. Primus quando tam in affirmativa quam in negativa, prædicatum distribuatur pro qualibet differentia temporis: quia si hoc non fieret, stante illo casu quod Socrates pro una medietate eiusdem temporis alicujus horæ non sit albus, & pro alia medietate eiusdem temporis sit albus; tunc arguendo sic: Socrates est non albus, ergo Socrates non est albus: consequentia non valet, quia antecedens convenit Socrati, & tamen ei non convenit consequens: sed si deberet valere, oportet quod sic arguatur secundum Marsil. Socrates est non albus pro qualibet parte

parte



parte temporis presentis, ergo Socrates non est albus. Secunda conditio, quod solum totale prædicatum infinitetur, ergo non sequitur: Hoc est prædicabile non essentialiter, ergo non est prædicabile essentialiter, quia stat quod idem sit prædicabile essentialiter & accidentaliter respectu diversorum. Similiter patet per hoc quod omnes rationes autoris consequentiarum, non valent in nominibus adjectivis: & similiter in aliis, ut ibi habetur, quia semper deficit illa secunda conditio. Tertia conditio, quod arguatur in propositionibus categoricis de inesse, & non in modalibus: ergo non sequitur, Socrates potest esse non albus, ergo Socrates non potest esse albus. Si autem negatio postponitur modo in secunda propositione, tunc benè sequitur, ut sic: Socrates potest esse non albus, ergo Socrates potest esse non albus, & sic benè valet.

*Arguendo à divisis ad coniuncta, est bona consequentia, 2. (Sic egulueias.)* Ibi sciendum, quod per conjunctum sive per prædicatum, conjunctum debet intelligi, aggregatum ex determinatione & determinabili, & prædicatum divisum est unum illorum. Illa regula habet veritatem servatis duabus conditionibus. Prima quod illa duo prædicata divisa, non sint accidentia alicujus Ly. Vel quando unum de per accidens videtur inesse alteri, tunc consequentia non valet, quia non sequitur: Socrates est albus, & Socrates est Monachus, ergo Socrates est albus Monachus. Etiam non sequitur, Socrates est magnus, & Socrates est Monachus, ergo Socrates est magnus Monachus: supposito quod sit parvæ staturæ, & magnus in scientia, quia antecedens potest esse verum sine consequente. Secunda conditio, quod unum prædicatum non includat aliud, ne committatur nugatio, quare



non sequitur: Socrates est homo, & Socrates est animal, ergo Socrates est homo animal.

*Arguendo à conjunctis ad divisa est bona consequentia, (se: ipulwias.)* Et habet veritatem servatis quatuor conditionibus. Prima, quod prædicata accidentaliter debent determinare idem in antecedente & consequente: & quando hoc non est, tunc regula non valet. Secunda conditio, quod unum prædicatum non sit dictio distrahens respectu alterius: ergo non sequitur, Socrates est albus ut carbonis, ergo Socrates est albus. Tertia conditio, quando arguitur cum dictione ampliativa, sic quod ampliatio non varietur: & ergo non sequitur, Chymera est ens ampliatum imaginabile, ergo Chymera est ens, & Chymera est ampliabilis: consequens autem est una copulativa, cujus una pars est falsa, ergo tota. Quarta, quando unum prædicatum est æquivocum, tunc non valet, quia non sequitur: Hoc est canis latrabilis, ergo hoc est canis & hoc latrabilis: quia prima pars consequentis est propositio plures.

*Anima est substantia in subjecto actu existens, (per Commentatorem, 6. Metaph.)* Ibi dicitur quod vult per subjectum Commentator, & per substantiam in actu intelligere subjectum organisatum, quia omne animal requirit subjectum organisatum. Subjectum autem organisatum est illud, quod habet partes diversimodè complexionatas, ad diversa officia exercendo deputatas.

*Aliud est magnitudo & magnitudinis, & caro & carnis esse, 3 de Anima.)* Illa auctoritas debet sic intelligi, quod Philosophus vult ostendere modum intelligendi ipsius intellectus, & sic per magnitudinem & carnem intelligit universale, vel ista sub  
tione



gione communis conceptus: sed per magnitudinis & carnis esse, intelligi debet singulare, scilicet ista eadem sub conditionibus individuantibus, vult ergo tantum, quod aliud est intelligendum universaliter, & aliud est intelligendum singulariter. Et hoc est verum, & ponuntur duplicia exempla metaphysicalia, & magnitudinem & magnitudinis esse: & naturalia, ut aquam esse aquam, modo cognitione sensitiva possumus cognoscere aquæ esse, se similiter magnitudinis: sed per intellectum possumus solum cognoscere magnitudinem, quæ hic sumitur per universale. Sed objicies, Philosophus dicit, quod non est quidem caro & carnis esse, idem in quibusdam, at in quibusdam est idem: modo nequaquam est idem intelligere universaliter & singulariter. Respondetur quod Philosophus vult, quod ipse intellectus non solum cognoscit universaliter, sed etiam particulariter, sed sensus cognoscit singulariter solum. Et ergo sensitiva cognitio convenit solum intellectui materiae coniuncto, & sic quando dicit Arist. quod in quibusdam est idem caro & carnis esse, vult tantum quod sint eiusdem potentiae ipsius intellectus.

*Accidentia non habent materiam, 7. Metaph.)*

Respondetur quod verum est de materia, ex qua; quia illam non habent, sed bene in qua habent, scilicet in qua sunt subjectivè.

*Actus & potentia circummeunt omnia predicamenta. per Commentatorem 1. de Anima.)* Intelligitur uno modo sic, quod in quolibet predicamento sunt termini verificabiles de prima substantia, mediante illo verbo est, vel potest. Vel ponuntur predicabilia cum illis verbis est, potest, & sic est vera: quia verum est dicere in genere substantiae, Homo est vel potest esse animal, & sic de aliis



aliis prædicamentis. Alio modo intelligitur sic, quod in quolibet genere prædicamentali invenitur aliquid, quod habet rationem actus, & quod habet rationem potentia. Sic iterum est vera quia in quolibet genere reperiuntur genera & differentia, & sic ibi sunt actus & potentia, eo quod habent rationem materia, ut patet per Porphyrum. & etiam reperitur forma vel differentia, quæ est actus, qui distinguit & separat, ut patet per Philosophum 3. de Anima. Alio modo sic, Actus & potentia in quolibet prædicamento reperiuntur, id est, termini magis & minus commune, & sic magis commune habet se; ut potentia: minus commune, ut actus: Vel dicitur, quod tantum vult quod isti termini Actus & potentia in communi non sunt in aliquo prædicamento sed bene modo restricto.

*Anima componitur ex intellectu agente & possibili, 3. de Anima.*) Intelligitur sic rectè, sicut sensus ad intellectum, concurrit quandoque activè, quandoque passivè: sic intellectus concurrit quandoque activè, & tunc dicitur intellectus agens: quandoque passivè & sic dicitur intellectus patiens, scilicet quando recipit illas passiones five species. Sed non debet intelligi secundum realem compositionem, sed dicitur actus agens quando actu format intellectum.

*Anima est corruptibilis, 3. de Anima.*) Intelligitur non secundum essentiam, sed secundum quandam operationem instrumentalem.

*Anima predicatur equivoce de animabus, per Commentatorem 3. de Anima.*) Intelligitur analogicè sic, quod anima per primus dicitur de anima intellectiva, & hoc prioritate dignitatis, & per posterius de



de aliis animabus, scilicet sensitiva & nutritiva. Etiam potest intelligi de intelligentis secundum analogiam perfectionis.

*Accidentia solum sunt sensibilia, 2. de Anima*) Intelligitur, quod solum sunt sensibilia per se & directè, cum hoc tamen stat quod substantiæ per accidens, & indirectè sunt sensibiles.

*Animal est animal propter sensum tactus, 2. de Anima.*) Intelligitur quod Ly propter non importat causam efficientem: sed, convertibilitatem, ita quod omne quod est animal habet sensum tactus, & è converso, omne quod habet sensum tactus est animal.

*Animal habens unum sensum est imperfectissimum, 1. Metaph.*) Intelligitur quo ad totam speciem, non autem quo ad certum individuum.

*Anima est in corde, sicut aranea in tela, in de sensu & sensato.*) Intelligitur quod anima sedet in corde principaliter & originaliter, & minus principaliter in aliis membris. Quod si obiicias, sed aranea non est in qualibet parte telæ, igitur anima non est in qualibet parte corporis. Respondetur quod Philosophus loquitur opinativè de illis, qui dixerunt animam tantum esse in corde, & dirigere suas operationes per omnia membra, sic quod illæ operationes regerent tota membra: Sed illa opinio reprobatur per Philosophum ibidem, quia nullum agens instrumentale potest producere aliquam operationem, non coagente agente principali: Vnde non oportet hinc omnimodam similitudinem quærere inter animam & araneam.

*Anima est in corpore, sicut monarcha in civitate bene disposita, Philosophus in lib. de motibus naturalium.*) Intelligitur quoque ad sensum impropriū,

5 B

quod



quod Ly debet importare non omnimodam similitudinem, sed aliqualem & sufficientem, sic quod anima est regens ipsum corpus sicut monarcha in civitate.

*Aliqua qualitas non est activa, 2. de Generatione.* ) Intelligitur, non quod aliqua qualitas, scilicet siccitas & humiditas, nullo modo sit activa: sed sic, quod sit minus activa quam alia, quia siccitas & humiditas, sunt qualitates minus activas quam caliditas & frigiditas.

*Aliud est videre per visum, & aliud discernere, 2. de Anima.* ) Ibi dicitur, quod Philosophus non innuit duos sensus exteriores visus, sed duos sensus visus, unum externum, alium internum; & per hoc quod dicit, Aliud est per visum discernere tangit sensum internum, scilicet sensum communem internum; sed per hoc quod dicit, aliud videre, tangit sensum visus externum, & hoc vult Philosophus.

*Anima est species specierum, 3. de Anima.* ) Intelligitur sic, Anima est species specierum, id est forma formarum, quia dignissima forma in istis inferioribus est anima humana. vel sic anima est forma omnium specierum, id est, formarum intelligibilium scilicet receptivè, quia est recipiens species intelligibilium omnium rerum.

*Anima est locus, 2. de Anima.* ) Ibi dicendum est, quod locus dupliciter capitur. Vno modo proprie, & sic ultima superficies locati dicitur locus, sic est pars integralis alicujus. Alio modo locus capitur pro continente, & sic anima est locus specierum, quia continet in se species, id est scientias & virtutes.

*Accidentis esse, est inesse, 7. Metaph. & 1. Phys.* ) Sensus est non, quod accidens actus substantiæ, a qua



qua dependet, inhæreat, sed quòd possit & debeat  
sua naturâ inhærerere, nisi aliunde impediatur

*Ad Philosophum pertinet invenire prima princi-  
pia medica scientie, ex de sensu & sensato.)* Ibi  
dicitur quòd ubi Philosophus desinit, ibi medicus  
incipit, & ergo necessarium est medicum esse Phi-  
losophum.

*Alimentum est contrarium alito, 2. de Anima.)*  
Intelligitur sic, accipiendo contrarietatem impro-  
priè, scilicet quòd tantum valet, quantum dissimile.  
Deinde intelligitur in principio, non in fine, quòd  
enim in principio dissimile est, in fine simile est, si-  
mile enim simili nutritur & augetur.

*Apes & canes sunt prudentiora cæteris animali-  
bus brutis 2. Metaph.)* Intelligitur quòd ma-  
jorem habent industriam, quàm alia animalia bru-  
ta, quia possunt sibi discernere convenientiam, &  
fugere disconvenientiam: At capiendo Ly pruden-  
tiam propriè, prout est recta ratio rerum agibilium,  
ut est habitus intellectualis, tunc solum convenit  
hominibus, non apibus vel canibus-

*Anima sensitiva est in corpore extensa, 2. de  
Anima.)* Intelligitur quidem de anima rationali  
continente gradum sensitivum non secundùm suam  
ipsius substantiam, sed quo ad organa vel ad dis-  
positiones requisitas ad actum sentiendi, sic quòd  
requirit organa extensa. De anima vero sensitiva  
bruti intelligitur simpliciter etiam quoad ipsam  
ejusmodi animæ substantiam. Anima enim sensitiva  
bruti ex potentia materia quantæ & extensæ pro-  
ducitur atque exeritur, & ideo etiam ipsa quantæ  
& extensa est.

*Aligua animalia solum habent unum sensum,  
& ali-*



*Et aliqua tres, 3. de Anima.) Ibi dicitur quod Philosophus est locutus de animalibus imperfectis.*

*Arguendo à positivo ad comparativum, est bona consequentia, 2. Topicorum.)* Intelligitur quod arguendo negativè & non affirmativè, & capiendo comparativum propriè. Benè enim concludo: Socrates non est albus, ergo Socrates non est albior. Non tamen perinde: Socrates est albus, ergo est albior.

*Aliqua est materia omnium liquefactibilium, 5. Metaph.)* Ibi respondetur, quod materia non capitur propriè: sed vult quod omnia liquefactibilia conveniunt in materia aliqua, puta in humiditate.

*Anima tam prius vivit vitam animalis, quàm vitam hominis, ut dicit Philosophus in de Animalibus.)* Intelligitur quod anima prius apparet exercere operationes animalis quàm hominis, & ex hoc non sequitur quod anima sensitiva sit plus in homine quàm intellectiva.

*Ab uno agente non provenit nisi unum. Colligitur ex Aristotele 2. de Gener. & cor. in text. com. 56. & ex 12. Metaphys. in com. 44. ubi idipsum expressè etiam Averroes.)* Intellige sic: ab vno ut sic non potest nisi unum procedere, præsertim immediatè & sine ordine quodam: Vel melius & clarius: A simpliciter uno quo ad essentiam, & quo ad virtutem non potest nisi unum provenire. Sed ab uno simpliciter quantum ad essentiam, multiplici autem quo ad potentiam & virtutem, possunt immediatè plura provenire.

*Ad interrogationem factam per quid, de prima sub-*



*substantia convenientius respondetur species quam genus, Philosophus in Predicamentis.)* Intelligitur prout *Ly* convenientius nō valet in tantū, sicut magis notius, quia tunc fit è converso: sed vult, prout convenientius valet tantum, sicut magis determinatè.

*Activum & passivum, secundum potentiam dicuntur ad aliquid, 2. & 5. Metaph.)* Intelligitur quod dicibilia importantia actionem & passionem, includunt terminos ratione, quorum ordinantur, secundum dici in *Pa*edicamento ad aliquid, non autem secundum esse & propriè.

*A comparativo ad positivum est bona consequentia, 2. Topic.)* Intelligitur, dummodo non superveniat aliqua negatio vel dictio habens vim negationis, & quando tenetur propriè.

*Arguendo ab interpretatione ad interpretatum, valet consequentia & e converso, per Philosophum in Topic.)* Ibi dicitur quod dictum Philosophi intelligitur negativè non autem affirmativè. Etiam valet illa consequentia, capiendò ab interpretato ad interpretatum affirmativè: ut sequitur benè, Ille est officialis, ergo ponitur loco Episcopi.

*Anima non est alterabilis, 7. Phys.)* Ibi dicitur quod anima non alteratur alteratione corruptiva, sed bene salvativa seu perfectiva ab ignorantia in scientias.

*Actus non parum distat à potentia, 1. de Anima, & 9. Metaph.)* Ibi dicitur quod verum est capiendò actum pro actu potentia, & sic omne illud dicitur in actu potentia, quod actualiter est, & vocatur actus objectivalis, huic opponitur potentia objectiva. Vnde potentia objectiva vocatur illud quod nō est,



est, sed potest esse: & sic actus & potentia sunt maximè opposita.

*Appetitus est ratione carentie, 1. Phys.)* Intel-  
lige, non quod semper absit cuius est appetitus.  
Vtique enim materia etiam appetit illam formam  
quam habet. Sed quod solet exoriri huiusmodi ap-  
petitus ex carentia: Vel aliter, verum est de appe-  
titu desiderij non autem complacentiæ. Nam illa  
quæ nondum habemus desiderare solemus. In illis  
quæ habemus complacere nobis.

*Ad substantiam non fit motus, 5. Phys.)* Et ra-  
tio est, quia substantiæ nihil est contrarium, sed  
omnis motus fit de contrario in contrarium.

*Ab experientia singularium accipimus universa-  
lem scientiam, 7. Phys.)* Intelligitur quod ex verita-  
te singularium infertur veritas universalis.

*Anima intelligit quando vult: sed non sentit  
quando vult, 2. de Anima.)* Et ratio est diver-  
sitas objectorum, quia objectum intellectus est in  
ipsa anima, aded ut & seipsam possit intelligere.  
At objectum sensus non est in ipso sensu. Non enim  
sensus sentit seipsum.

*Aque magne plus fluunt de nocte quàm de die,  
3. Meteororum.)* Et hoc est ideo, propter absentiam  
humoris solaris.

*Artifex est sapientior experto, architector ma-  
nuali artifice, 1. Metaph.)* Ad sapientem pertinet,  
omnia in universali scire, & difficilia, & habere  
scientiam quæ sui ipsius tantum causa est, & non  
causa alterius.

Audire fabulas, est impedimentum cognitionis  
veritatis, 2. Metaph.

Antiquè



Antiqui Philosophi acquisitis vitæ necessariis,  
primo ceperunt philosophari, 1. Metaphys.

Anima est causa corporis viventis in triplici ge-  
nere causæ, scilicet formalis, efficientis & finalis,  
2. de Anima.

Artifex secundum possessum intendit se assimu-  
lare naturæ, Commentator, 2. Metaph.

Animalia augentur magis dormiendo, quam vi-  
gilando, In de somno & Vigilia.

Animalia respirant in humido, in de Morte &  
Vita.

Apes habent regem, qui non exit nisi cum om-  
nibus apibus, ibidem.

Anima infunditur corpori jussu Dei, in lib. de  
proprietatibus elementorum.

A mulieribus non regitur civitas, 1. Pol.

Anima preciosior est corpore in omni possessio-  
ne, 7. Polit.

Ars supplet defectum naturæ, Ibidem.

Amor odium & proprium commodum sæpe fa-  
ciunt judicem non videre verum, 1. Rhet.

Amicus gaudet de bonis, & dolet de tristibus suæ  
amici, 2. Rhetor.

A luxuriæ fervore student se veri studiosi abali-  
enare, per Boetium in Disciplina scholarium.



## B.

**B**onum est adulterari cum uxore tyranni  
tempore belli. Intelligitur sic, utile sibi ex-  
pediēs est, tempore belli, adulterari cū ux-  
ore tyranni, ut ipsa revelet secreta. & sic  
bonū nō debet dici bonitate moris, quia nō est bonū  
morale,



morale, sed malum, sed importat utilitatem ut dictum est. Cautè igitur hæc Aristotelis sententia legenda, nè quis ullo tempore licitum esse putet adulterari.

*Bonum & malum sunt contrarie opposita, per Philosophum in Prædicamentis.*) Intelligitur sic, pro ut bonum & malum sunt differentiæ artis, non sunt opposita contrarie: quia malum entis non est ens, sed bonum entis est ens: sed tunc ad Philosophum dicitur, quod loquitur de bonitate moris, & non de bonitate entis.

*Bonum utiue non est melius bono honesto per Senecam.*) Intelligitur de bono utili, in quantum non est bonum honestum, quia idem bene potest esse bonum utile, & bonum honestum.

*Bonum connumeratum bono facit ipsum melius, 1. Ethic.*) Intelligitur sic, si bonum infinitum connumeratur bono finito, facit ipsum melius, id est nobilius: sed si bonum finitum comparatur bono infinito, non facit ipsum melius, quia omnia bona cum primo motore, & totum universum non facit ipsum magis bonum quam primus motor seorsum, eo quod est bonum infinitum.

*Bis tria non sunt sex, 5. Metaph. tex. 19.*) Ibi notandum est, quod illa propositio bis tria non sunt sex, est distinguenda. Nam Ly Bis dupliciter sumitur. Vno modo capitur copulativè, ita quod conjunctio inclusa Ly Bis causat propositionem hypotheticam copulativam: & illo modo tantum valet Bis tria non sunt sex, & tria non sunt sex, & sic est vera, & illo modo eam capit Philosophus. Alio modo capitur ut conjunctio inclusa in Ly Bis, scilicet fit, & tunc tenetur copulativè, & facit propositionem categoricam de conditionato extremo: & tunc tantum valet, Tria & tria non sunt sex



sex, & sic ipsa est falsa. Alexander Aphrodis. super hunc locum sic explicat: si sex simpliciter accipiamus hoc numerus est, si autem sex accipias, ut bis tria, tunc cum qualitate dicitur. Vide porro Fonseca lib. 8. cap. 7. de fallacia compositionis & divisionis, & alios.

*Bonum animæ est optimum bonum. 7. Polit.)*

Intelligitur comparativè scilicet, quod bonum quod est bonum hominis, est optimum respectu illorum duorum, scilicet boni utilis & boni delectabilis.

*Bonū reperitur in quolibet predicamento. 1. Top.)*

Intelligitur de bono entitativo, & non de bono morali, quia illud non reperitur in quolibet predicamento.

*Brutum est animantius arbore, per Auctorem sex principiorum.)* Intelligitur quod animal habet plures virtutes vel potentias animæ quam arbor, Vide supra axioma. Animal est animantius quam arbor.

*Bonum quanto communius, tanto divinius. 1. Ethic. 2. Top.)* Verū est de bono eiusdem speciei. Unde licet uxorum esse communius sit quam religiosum esse; divinius tamen est hoc quam illud. Rursus quando propter communem usum alicujus boni, non derogatur habenti illud bonum, propter hoc enim quamvis habere equum cum decem sociis, est communius quam se solum habere: tamen non est divinius, quia derogat habenti.

*Basiliscus solo visu interficit hominem per commune dictum.)* Responderetur quod non est intelligendum, quod per actum per se & per speciē visibilem interficit hominem: sed est intelligendum ad istum sensum, quod Basilisci sunt aquei & humidi, & maxime porosi, & per eos fiunt evaporationes, quæ inficiunt

C

aerem



aerem, & ille aer attractus ab homine interficit hominem. Et sic simili modo dicitur de muliere menstruosa, quæ solo visu maculat speculum.

*Bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum sunt in mente, 6. Metaph. text. 3. & 3. de Anima.)* Sensus est non quod bonum non sit etiam in anima, sed quod non terminatur ad animum sicut verum, quia bonum non habet rationem terminandi appetitum, secundum esse cognitum, quod habet in anima, sed secundum esse reale, quod habet extra. Veritas autem & falsitas fundantur in re, & terminantur ad animam, quia ut dicit Comment. in 1. disput. lib. destruct. in solut. 2. dubii. Veritas est adæquatio rei ad intellectum. Unde quando res ostendit se intellectui sicut est, dicitur habere completam veritatis rationem.

*Bona sine tristitia sunt eligibilia bonis cum tristitia, 3. Topic.)* Intelligitur quod bona sine tristitia, & sic dummodo præ eminentia bonitatis non convenit bonis cum tristitia. Dicitur notanter bona, propter crapulosè vivere, & temperatè vivere: quia crapulosè vivere, non est bonum: ergo non est plus eligendum quam temperatè vivere. Dicitur etiam, dummodo præ eminentia, quia temperatè vivere sine tristitia non est eligendum, quam facere justitiã cum tristitia. Respondendum est, quod bonum cum tristitia quærit bonitatis vim cum præ eminentia veri: sed facere justitiã cum tristitia, est potentia.

*Bonum ex circumstantiis est eligibilius bono necessario, 3. Topic.)* Intelligitur quod bonum ex circumstantiis, ut sic est eligibilius bono necessario, ut bono naturæ naturatæ: ut sic dicitur notanter naturæ



naturæ propter bonum moris, quod etiam est necessarium: tunc etiam additur naturæ naturatæ propter Deum, & additur ut sic, quia sciat idem esse bonum ex circumstantiis, & bonum naturæ naturatæ. ut, Bonum vivere est bonum ex circumstantiis, & etiam est bonum naturæ.

*Bonum simpliciter est eligibilius bono particulari, 3. Top.*) Intelligitur de quocunque est, verum dicere quod sit bonum sine addito, & sic autoritas debet intelligi cum reduplicatione.

*Bonum nobilius est eligibilius bono minus nobili, 3. Top.*) Et sic sequeretur quod latro nobilis esset melior rustico bono moraliter: similiter etiam quod Tyrannus esset eligibilior comite bono moraliter. Respondetur quod sic intelligitur, quod omne nobilius, ut sic, in eadem specie nobilitatis est magis eligendum suo minus nobiliori, vel nobili cæteris paribus, scilicet dummodo alteri non veniat una alia nobilitas aliam excedens.

*Bonum proprium est magis eligendum quam bonum commune, 3. Top.*) Et sic sequeretur quod proprium bonum est magis eligendum quam summum bonum, quod tamen falsum est. Ibi sciendum, quod bonum est duplex. Quoddam est bonum commune, propter cuius communitatem derogatur habenti, & illud bonum commune non est melius bono proprio, sed de quanto magis proprium de tanto magis est eligendum, ut est equus vel tunica. Aliud est bonum propter communitatem, quod nulli derogatur, ut splendor solis vel candelæ in domo. Et hoc bonum de quanto communius, de tanto divinius & melius, de illo intelligitur dictum Philosophi, 1. Ethic. Sed de primo bono comuni præsens autoritas intelligitur, & intelligitur cum specificatione, scilicet dummodo



cætera sint paria, & dummodo bono communi cõ-  
veniat præeinentia.

*Bonum & ens convertuntur, 4. Metaph.)* In-  
telligitur de bonitate entis, & non de bonitate ar-  
tis, de qua loquitur Philosophus, 1. Eth. dicens q̃  
in diversis artibus est aliud & aliud bonum, & sic  
qualibet ars designat aliquid bonum: nec etiam  
autoritas intelligatur de bonitate moris, de qua  
loquitur in Ethic. quod bonus est honorandus se-  
cundum virtutem. Etiam non debet bonum capi  
pro bonitate perfectionis, ita quod illud dicitur  
bonum, quod alterum perficit, Et de illo loqui-  
tur Philosophus, cum dicit, Tempus est quoddam  
bonum.

*Bonum universi consistit in ordine, 12. Metaph.)*  
Quia omnia ordinem habent ad primum bonum.

Bonum voluntarium est, quod simpliciter est  
bonum, 2. Ethic.

Benefactores plus amant beneficiatos, quam a-  
mentur ab eis, 9. Ethic.

Bona fortuna est impetus naturaliter factus à  
Deo, moyente totam naturam, Philosophus in li-  
bro de fortuna.

Bonam vitam scientia perfecta efficit. Seneca  
ad Lucilium discipulum suum.

Bonum ens seu Sapientia nec accommodatur  
nec emitur, si venalis esset, non haberet empto-  
rem: sed malum ens quotidie emitur, ibidem epi-  
stola, 4.

Beneficiorum memoria senescere non debet, Se-  
neca de Beneficiis.

Bonitas Dei fuit causa factionis mundi & ori-  
ginis omnium rerum. Plato in Timæo.

Beata est respub. cui princeps sapiens domina-  
tur, 1. de consolatione, Plato in 6. de Repub.

Bonum



Bonum est laudari, sed dignius est laudabile,  
Seneca in lib. de Morib.

Bona consuetudo excutere debet quod mala in-  
troduxit, ibidem.



C.

**C**ONVENIENS fit à convenienti 7. Me-  
taph. com. 28.) Limitat Auerr. 2. Me-  
taph. com. 18. quod nō est omnibus mo-  
dis ista convenientia, sed oportet ut ista  
convenientia sit isto modo, ut agens sit tale in po-  
tentia & virtute, quale est effectus in actu.

*Contraria non possunt esse simul in eodem sub-  
iecto 5. Phys.) Verum est in esse completo, & per-  
fecto, tamen benè esse possunt, in esse refracto. A-  
verr. in 5. Phys. in Com. 6. & 19. & 52.*

*Conservativum unius contrarii est destructivum  
alterius contrarii.) Verum est de agente particulari,  
fallit autem de agente universali. Nam cœlum me-  
diante motu, & lumine conservat omnia elementa  
virtute coloris cœlestis.*

*Circa compositionem & divisionem veritas &  
falsitas propositionum consistit, 1. dicitur in l. 1. c. 1. Intel-  
ligitur quod circa compositionem, id est, circa  
propositionem affirmativam & negativam, est ve-  
ritas & falsitas: hoc tamen non est objective.*

*Corpora cœlestia non habent materiam, per  
Commentatorem, primo phys. 1. Cœli & 8. Me-  
taph.) Dicitur quod Philosophus capit materiam*



propriè, scilicet quòd cœlum non habet materiam eiusdem rationis cum materia inferiorum: Quia si sic, tunc cœlum esset generabile & corruptibile. Unde idem Commentator alibi ait, In materia cœlesti potentiam esse tantum ad ubi, non autem potentiam istam contradictionis quæ reperitur in his inferioribus.

*Cœlum est corpus simplicissimum, primo Cœli.)* Intelligitur hæc propositio, id est, non compositum ex materia & forma secundum Averroem, sed solum materia actu existens, vel compositum quidem ex materia & forma, sed nec compositum ex alio corpore priori specifico, sicut mixta componuntur ex corporibus elementorum, nec ullas admittens impressiones peregrinas vel alterationes corruptivas, quemadmodum ipsa admittunt elementa, sed quasdam alterationes salvativas duntaxat seu perfectivas.

*Carnis determinata est quantitas & magnitudo & parvitas, 1. Phys. text. 38.)* Non enim quodcumque totum potest indifferentè esse sub quacunque quantitate perfectum ergo nec eius partes. Nã totum à partibus dependet. Itaque sicut animal non potest esse sub quacunque quantitate perfectum, ita nec eius partes, ossa, caro, nervi, &c. maxime autem hæc determinatio quantitatis apparet in totis heterogeneis eorumq; partibus.

*Cor est primum vivens & ultimum moriens, inde Morte & vita.)* Intelligitur quoad operationes vitales, quæ prius apparent in corde quam in aliis membris.

*Cor, hepar, cerebrum, sunt principia intrinseca animalis ut dicunt medici.)* Hoc videtur contra Philosophum qui dicit quod tantum tria sunt principia rei naturalis scilicet materia, forma & privatio.

Ibi



Ibi respondetur, q̄ medici non propriè loquuntur de principiis simplicibus, sed magis de principiis principatis; Modò auctoritas Philosophi intelligitur de principiis essentialibus & intrinsicis.

*Cuiuslibet transmutationis naturalis principia intrinseca sunt contraria, primo Physicorum.*) Intelligitur sic quod cuiuslibet transmutationis naturalis principia definitiva sunt contraria, large capiendò contraria. Insunt enim ista principia, terminus à quo, & terminus ad quem privatio & habitus potentia & actus.

*Certissimum sensum tactus habet homo, 2. de Anima.*) Intelligitur dupliciter. Uno modo secundà facilitatem intelligendi, iudicandi & apprehendendi, & sic aranea habet certioremodum tangendi sive tactum quàm homo. Alio modo quo ad modum discernendi differentias tangibilium, & sic homo habet certioremodum tactum: & non vult Arist. q̄ homo habet certissimum tactum per comparisonem ad alios sensus exteriores, quia nos iudicamus certius per visum: sed vult quod nos habemus certissimum tactum per comparisonem ad alia animalia bruta, & hoc quoad modum discernendi.

*Color est proprium objectum visus, 2. de Anima*) Intelligitur dupliciter. Uno modo quicquid videtur hoc videtur ratione, quo habet colores in se. Alio modo intelligitur, quod Ly Est capitur in actu signato, & sic color est proprium objectum visus, id est, color significat proprium objectum visus, & ad æquatum. Vel dicitur quod Philosophus voluit illam, Proprium objectum visus est color, sic q̄ Ly Color stat confuse tantum, & sic non oportet dari certum colorem.

*Causa materialis & efficiens nunquam coincidunt, 2. Phys.*) Verum est de materia propriè dicta, quæ

C 4



quæ vocatur materia ex qua, sed nõ de materia in qua, scilicet improprie dicta.

*Conceptus non sunt equivoci, 1. Sec. i. q. l. v. c. 1. s. )*  
Intelligitur quod conceptus rerum non sunt æquivoci ad illa, quorum sunt naturales similitudines.

*Convertibile non probat suum convertibile, per communem regulam. )* Intelligitur de convertibili ignotiori, ut sunt exponentes unius expositæ.

*Circulariter diffinire est impossibile, 1. Poster. )*  
Intelligitur de absolutis in eodem genere definiendi, non autem est inconveniens, saltem à priori vel posteriori secundum respectus & in diversis generibus definiendi.

*Contingit plura scire, unum solùm vero intelligere, 3. Top. )* Respondetur quia scientia totalis, videlicet de qua hîc sermo est unus aliquis habitus multarum demonstrationum: Ipsum verò intelligere actuale si comparetur ad huiusmodi habitum, unius est, non multorum.

*Cuilibet innata est scientia & notitia, 1. Post )*  
Intelligitur virtualiter secundum suas causas, & eo quod intellectus naturaliter assentitur primis principiis.

*Causæ contrarie sunt contrariorum effectuum in 4. meteor. text. com. 40. )* Intelligitur per se. nam idem per se non erit eidem causa contrarij, per accidens autem non inconvenit quod causa eadem faciat contrarios effectus, sed unus erit per se, reliquus autem erit per accidens. Nam caliditas per se calefacit, sed per accidens infrigidat. sic enim eadem erit causa contrariorum, ubi dicit Philosophus, 2. Physic. tex com. 30. Et datur exemplum de nauta,



nauta, qui sui presentia est causa salutis navis, & sui absentia est causa submersionis; manifestum est autem quod absentia nautæ nō est causa per se submersionis navis; quia effectus per se positivus requirit aliquam causā per se positivam, talis autē causa sunt venti. Similiter causæ contrariæ sunt contrariorum effectuum, vera est propositio de causis immediatis & proximis: fallit autem in causis mediatis & remotis. Unde indigestio est causa tenuitatis & grossitiei in urina, ut dicunt Medici, quia est causa remota & communis. Amplius autem motus cœli, & lumen sunt causæ omnium quæ sunt hic. Nam 8. Phys. motus est tanquam vita omnium naturā constantium.

*Cœlum est indivisibile & inalterabile, 1. (Cœli.)*

Intelligitur secundum separationem: est tamen divisibile secundum assignationem partium, quia in cœlo diversæ possunt partes assignari. Et sunt differentia positionum, & est alterabile alteratione salvationis, seu perfectionis non autem corruptionis.

*Cessante motu Cœli, cessat motus inferiorum,*

*2. Cœli.)* Intelligitur sic, cessantibus illis tribus, scilicet motu, lumine, & influentia, cessat motus inferiorum: quia staret quod influentia in inferiora influeret cessante motu cœli, & hoc per suam influentiam, sicut sol per suum lumen, & planetæ per influentias, & tunc motus non omnino cessaret in istis inferioribus, eo modo quo jam dictum est.

*Contraria ambo debent esse positiva, 1. Metaph.)* Intelligitur de contrariis propriè dictis, prout contrarietas distinguitur contra oppositionem privativam.

*Cœlum est ligatura inter generabilia & ingenerabilia, 1. Cœli.)* Respondetur quod Philosophus loquitur



loquitur secundum opinionem Platonis, & ponit eam assertivè; Alio modo dicitur quod Philosophus loquitur de medio continente, sic quod sub cœlo sunt entia generabilia & ingenerabilia, extra cœlū sunt entia optimā vitā ducentia, ut inquit Philosophus ibidem.

*Causa finalis habet rationem optimi, 3. Phys.*) Ibi dicitur quod Philosophus loquitur in illa auctoritate, de fine cuius, non autem de fine cui. Deus enim V. G. est finis hominis cuius gratia omnia facit homo. Nemo autem ipse est finis cui fruitio ejusmodi summi boni quæritur.

*Causa est ad cuius esse sequitur aliud, 2. Phys. & per Authorem causarum in de causis.*) Intelligitur de causa totali & sufficienti, quia posita tali causa, etiam statim sequitur effectus, sed sic non est, de causa partiali. Nisi velis dicere causa est, ad cuius esse sequitur aliud pro natura istius esse.

*Corpus est genus supremum ad substantiam, per Commentatorem, 1. de Anima.*) Intelligitur sic quod corpus sit genus generalissimum inter omnia genera subalterna, sed non simpliciter.

*Cujus finis bonum est, ipsum quoque bonum est, 3. Topic.*) Intelligitur de bonitate morali & particulari ut patet; sic cuius finis particularis cum debitis circumstantiis est bonus, ipsum quoque moraliter est bonum. Alio modo intelligitur de fine universali, & de bonitate entis, & sic iterum est vera.

*Circulum demonstrare est impossibile, 1. Poster.*) Intelligitur demonstrando in eodem genere, sed in diversis est bene possibile.

*Causa finalis & causa idem sunt, per Commentatorem*



*causam*, 1. *Metaph.*) Ibi dicitur quòd Philo-  
sophus capit causam propriissimè seu strictissimè  
solum pro causa finali, quia talis est potissima cau-  
sa, sive causa causarum, ut patet ibidem.

*Cælum non suscipit peregrinas impressiones*, 1.  
*Meteor.*) Intelligitur quòd cælum non suscipit cor-  
ruptivas qualitates, cum hoc tamen benè stat, quòd  
capit qualitates salvativas, sicut sunt lumen & mo-  
tus, quia cælum movetur.

*Causa est præstantior suo effectu, per Authorem  
de causis*, 9. *Metaph.* & 2. *de Anima.*) Intelli-  
gitur de causis subordinatis, sic quòd subordinans  
præstantior est subordinato suo. Vel sic; quòd om-  
nis causa nobiliori modo habet se in causando, quàm  
effectus in prædicando: cum hoc tamen stat, quòd  
aliquando dignitates vel bonitates possunt conve-  
nire effectui, quas tamen non habet causa.

*Conveniens fit à convenienti*, 12. *Metaph.*)  
Propositio hæc verificatur tribus conditionibus sci-  
licet ut sit in agente non instrumento, & in pro-  
pinquo non in remoto, & in agente essentialiter  
non accidentaliter. Paulò antè etiam explicata.

*Causa est nobilior seu perfectior causato*, 4.  
*meteor.*) Falsa est hæc propositio simpliciter, sed ac-  
cidentaliter est vera, fallit enim in materia. nam  
7. *Meta tex. com. 7.* compositum est magis ens,  
quàm materia, & ratio est quia compositum est in  
actu, & materia est in potentia. Plura de hoc axi-  
omata vide apud Scotum in suis theoremat copio-  
se & benè explicantem ac limantem idem.

*Causa & causatum sunt simul*, 2. *Phys.* & 7.  
*Metaph.*) Intelligitur de causa in facto esse, & non  
in fieri: sive de causa actuali, & non potenciali.

*Corruptio*



*Corrupto subjecto corrumpitur & suum accidens Philosophus in Prædicamentis.) Sed diceret; si sic tunc corrupto homine corrumpitur & felicitas hominis, ex quo felicitas est accidens hominis. Pro quo nota, q̄ felicitas hominis habet duo subjecta. Unū totale & illud est homo. Aliud est partiale, & illud est anima. Aliter dicitur quod homo est subjectum denominationis felicitatis, quia homo denominatur fælix à felicitate: sed anima est subjectum inhætionis felicitatis, modo primū corrumpitur, secundum verū manet. Et sic conceditur, quod accidens denominationis migrat de subjecto in subjectum, & hoc nō est inconueniens, nec contra Philosophum, 7. Metaph. vel dicitur, quod corrumpitur subjectum totale, & adhuc tamen manet partiale quod est anima., ut dictum est.*

*Causa efficiens est principium motus & quietis, 2. Physic.)* Intelligitur, causa est principium motus, scilicet secundum operationem, & est principium quietis, scilicet, secundum operis cessationem-

*Cujus effectus bonus, ipsum quoque bonum, regula in Topic.)* Intelligitur cujus effectus particularis bonus est, ipsum efficiendo erit bonum efficientis, id est agentis; & loquitur tam de bono entis, quàm de bono moris-

*Cause per se sunt finite, sed cause per accidens sunt infinite. 2. Phys. tex 50.)* Vtitur ibi Philosophus argumento hoc à simili: Sicut cause per accidens indeterminatæ sunt, quia multa uni accidunt, causa verò per se, una est: ita effectus per se unus, & unius rationis. At effectus per accidens multi sunt: unde cum hujusmodi sint à fortuna, effectus fortuiti sunt indeterminati.

*Cujus*



*Cujus corruptio vel abjectio est magis fugienda, ejus contrarium est magis eligendum, 3. Topic.)*  
 Et si sic, tunc sequeretur quod aer esset magis eligendus quam domus: quia corruptio ejus est magis fugienda. Respondetur quod corruptio capitur dupliciter: Uno modo pro infectione alicujus, ut aeris vel alterius rei. Secundo modo sumitur proprie pro mutatione rei, quæ tunc dicitur de esse ad non esse, & illo modo scilicet ultimo capitur hîc. Et diceres, si sic, tunc sequeretur quod prodigalitas magis esset eligenda quam parcitas. Ibi dicitur quod intelligitur, cujus bonum contrarium est bonum vel eligibile, modo parcitas non est bona, eò quod est vitium.

*Consilium mulierum ἄνεργον est, hoc est invalidum sive parum firmum & ratum, 1. polit: cap. 13.)* Dicit hoc Aristoteles non quod mulieres careant ingenio & acie mentis: (nam acutæ sunt, ac verum sæpe vident) sed quod earum consilium impediunt motus animorum, quibus valdè obnoxia sunt. Unde nos vulgò dicere solemus, quod subito foeminis in mentem venit, egregium consilium esse: cum verò tempus cogitandi nactæ fuerint, variati ipsum, juxta illud Virgil. varium & mutabile semper foemina: Nam aut ira, aut amore, aut odio, aut propria utilitate à vero abducuntur.

*Causa finalis est cujus gratia, aliquid fit: & finis aliarum, quæ est potissima causarum, 3. Phys.)*  
 Intelligitur sic, causa finalis est cujus gratia aliquid fit, id est, propter quam fit effectus. Tunc addit unam conditionem, & dicit, quod causa finalis est potissima causarum, id est, optima, quia omnes aliæ causæ ordinantur ad ipsum tanquam ad finem. Sed diceres, Omnis causa debet esse principium: causa finalis non est hujusmodi, ergo non est



est causa. Major est Philosophi, Metaph. 4. Respondetur, secundum Commentatorem, quod causa finalis consideratur dupliciter, uno modo via generationis, & sic non est principium, sed ultimum. Alio modo consideratur via perfectionis, quia finis perfectior est omnibus quæ sunt ordinata ad finem. Et sic illo modo est principium.

*Causæ sunt sibi invicem causæ, 2. Phys.)* Intelligitur quod causæ possunt ad invicem demonstrari, non tamen in eodem genere causæ, sed in diversis causis.

*Cujuslibet syllogismi altera præmissarum debet esse universalis, 1. Prior.)* Verum est de syllogismo, de medio communi, existente in modo & figura.

*Continua sunt, quorum ultima sunt simul, 1. Cæli, & 3. Phys.)* Distingue non per contactum etiam proximum, sic enim & contigua ac contigentia proxima dici possent continua, sed per communionem unius termini. Continua enim sunt quorum partes copulantur ad unum aliquem terminum communem, qui idem & finis sit unius partis, & simul principium alterius.

*Compositum non intelligit, sed anima, 1. de Anima.)* Vbi Philosophus vult non quod homo intelligat. Cum enim anima sit pars hominis, utique si anima intelligit, etiam homo intelligit. Sed vult quod anima non intelligat secundum corpus, five ita ut in sua intellectuione communicet cum corpore tanquam instrumento. Etsi enim in intelligendo objectivè dependet à corpore, non tamen subjectivè planè enim inorganica operatio est intellectio, ut quæ nec efficiatur à corpore aliquo, sed sine organo aliquo corporeo à sola anima efficitur, & in sola anima recipitur.

*Corrupti*



*Corruptibile & incorruptibile sunt contraria*, 1. *Metaph.*) Hoc est verum capiendo contrarietatem communiter, prout extendit se ad oppositionem privativam.

*Contraria maxime distant, Philosophus in predicamentis.*) Verum est loquendo de graduali distantia non autem perfectionali seu logicali.

*Causa finalis & agens coincidunt*, 2. *Phys.*) Intelligitur uno modo, secundum aliquos, quod illa non fit simpliciter vera, secundum autem alios dicitur quod causa finalis & agens coincidunt in causis per se; sed in causis per accidens non oportet. Alio modo dicitur, quod causa finalis & agens idem sunt sine reduplicatione: sed cum reduplicatione non oportet quod coincidunt.

*Contraria debent esse in eodem genere*, 7. *Metaph.*) Intelligitur quod debent esse in eodem genere predicamentali, quia si non, tunc non essent contraria, ut patet ex eorum definitione.

*Contrarietas in omnibus predicamentis est quaesita, in sola qualitate reperta, per Boetium.*) Intelligitur capiendo contrarietatem strictissime: sed capiendo contrarietatem large, tunc etiam convenit relationi actioni & passioni: & intelligitur quod contrarietas per se convenit qualitati, & per accidens relationi, passioni & etiam actioni; scilicet in ordine ad qualitatem.

*Corpora physica sunt maxime in substantia*, 2. *de Anima.*) Illa est intelligenda, quod corpora physica habent magis vel plus de entitate quam aliae substantiae: sed dicuntur maxime substantiae, quia sunt manifesta substantiae. Et plus adparent sensibus nostris esse substantiae, quam aliae quae non sunt physicae



physicæ scilicet artificialis : quia tales solum sunt substantiæ propter materiam , Physicæ autem substantiæ sunt non solum propter materiam , sed etiâ ratione formæ modo Philosophus ibidem dicit , Corpora naturalia sunt principia artificialium.

*Cujus privatio est pejus ens , habitus est melior* , 2. Top. ) Et sic sequeretur quòd anima vegetativa esset melior quàm intellectiva , ut patet quia privatio vegetativa est peior. Probatum , quia ad privationem animæ vegetativæ tolluntur omnia animalia tam homines quàm alia animalia : sed ad privationem animæ vegetativæ tolluntur omnia viventia non solum homines , sed etiam alia animalia. Respondetur quod illa autoritas non est universaliter vera , sed intelligitur de illis , ubi unum non præsupponit alterum , modò potentia intellectiva præsupponit potentiam vegetativam.

*Contra negantem principia , non est amplius disputandum* , 1. Phys. ) Intelligitur quòd non est amplius disputandum contra illum in illa scientia , cujus talia principia sunt. Quare etiam dicit , quòd nullus artifex habet stabilire sua propria principia , sed Metaphysicus habet stabilire omnia.

*Consilium non est de præteritis sed de futuris* , 6. Eth. ) Ratio est quia quòd factum est , non potest esse non factum , quia facere genitum & non genitum hoc solo posse privatur , ut patet per Philosophum ibidem.

*Communiora sunt facilliora* , 1. Phys. ) Contra Metaphysicus considerat pura communissima , ergo Metaphysica erit facillima , quòd tamen videtur falsum : Dicit potest quòd communiora sint facilliora & notiora cognitione confusa sed non distincta.

Rursus



Rursus quod Metaphysica non tantum versatur circa illa communiora, sed etiam circa substantias abstractas sive intelligentias tanquam principalior rem partem sui objecti. Cum ergo à principaliori fiat denominatio, Merito Metaphysica dicitur difficillima.

*Circa idem versatur logica & Metaphysica, 4. Meta.)* Intelligitur quod tam logica quam Metaphysica sunt scientiæ communes, quo ad applicationem.

*Contrariorum contrariae sunt causae, 2. de Generatione.)* Ibi dicitur quod idem particulare non est causa oppositorum, & non intelligitur de agente universalis, quia tale potest esse causa oppositorum, ut patet 2. Phys. & 2. Metaphys. in tractatu de causis.

*Caro est organum tactus, 2. de Anima.)* Respondetur quod per carnem sentimus tanquam per medium. Dicitur etiam quod tactus est in carne tanquam in medio, vel dicitur quod tactus est intra carnem, & hoc etiam dicit Philosophus, 2. de Anima. Et hoc secundum communem sententiã quod nervus sit organum tactus: secundum quosdam vero ipsa etiam caro est organum tactus.

*Cuius usus malus, ipsum quoque malum, regula, Top.)* Intelligitur, cuius usus per se est malus, ipsum quoque est malum.

Consilium non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem, 3. Ethic.

Consulto oportet velociter operari, consiliari autem tarde, 6. Ethic.

Circa voluptates & tristitias est moralis virtus, 2. Ethic.

Cognitio finis utilis est in arte, 3. Eth.

D

Coitus



Coitus est destructio corporis, & abbreviatio vitæ, Arist. in secretis secretorum.

Cum illis conversari debes, qui te meliorem facturi sunt: non perinde cum illis quos meliores facere posses. Senec. ad Lucilium discip.

Cottidie morimur, cottidie enim labitur aliqua pars vitæ, ibidem Epistola.

Consilium oportet esse de his quæ possunt aliter habere, 6. Ethic.

Cum consideratione promitte, & plenius quam promiseris præsta, ibidem.

Casus est incombinatæ rei eventus, ex causis confluentibus in his quæ generantur. Boetius 5. de Consolatione.

Consuetudo est altera natura, 7. Ethic.

Compositum ex materia & forma, non dicitur unum nisi quod sua forma est una. Commentator, 2. de Anima.

Cæcus à nativitate sapientior est surdo & muto, in lib. de sensu & sensato.

Castrati plus vivunt quam non castrati, & idè propter paucitatem coitus plus vivit mulus quam equus: in lib. de longitudine & brevitate vitæ.



## D.

**D**E infinito habetur scientia, 3. Topic.)  
Ibi dicitur verum est privativè, & per propositiones negativas & conditionales, non autem positivè & affirmativè.

Descen-



*Descendentem à generalissimis ad specialissima, necesse est ire per multitudinem, per Porphyrium.)* Ibi dicitur quod autoritas in sensu diviso est falsa, quia non est necesse ipsum descendente ire per multitudinem: sed debet concedi in sensu composito, ut necesse est descendente ire per multitudinem à generalissimo ad specialissima.

*Dans formam, dat omnia consequentia formam, 8. Phys.)* Intelligitur uno modo, Dans formam dat omnia consequentia necessaria ad formam, modo scire & virtutes non sunt necessariae ad formam: quia sunt de bene esse ipsius formæ, eò quod sint formæ accidentales perficientes ipsum intellectum. Alio modo sic intelligitur & melius: Dans formam dat sibi formaliter vel virtualiter omnia consequentia formam, nam sic Deus dat scientiam virtualiter, quia creavit formam intellectivam, sic quod habet naturalem inclinationem ad acquirendum scientiam.

*Deus est infinitus, ibidem.)* Intelligitur quod Deus est infinitus in vigore & perfectione, sed non extensè sive in quantitate.

*De multiplicibus seu æquivocis non est scientia, 2. Poster.)* Ubi dicitur, quod secundum S. Thomam de æquivocis & multiplicibus in tota sua communitate manentibus, non est scientia sed capiendo aliquid æquivocum in certa eius significatione, tunc de eis bene potest haberi aliqua scientia.

*De ente per accidens non habetur scientia. 6. Metaph.)* Intelligitur quod de propositione per accidens vera non habetur scientia, tanquam de scibili propinquo, sed bene de resignificata per conclusionem.



*De corruptibilibus & possibilibus aliter se habentibus non est scientia, 1. Poster.)* Intelligitur quod de propositionibus singularibus categoricis non est scientia tanquam de scibili propinquo: cum hoc tamen stat, quod de talibus est scientia tanquam de rebus significatis per propositiones, sive tanquam de scibili remotissimo.

*Demonstratio circularis est impossibilis, Ibidem.)* Intelligitur in eodem genere demonstrandi respectum eiusdem generis causæ, non de multis, scilicet demonstrationibus ad eandem conclusionem, & secundum idem genus causæ pertinentibus.

*Definitum est notius suis partibus diffiniendis, 3. Phys.)* Ibi dicitur quod Philosophus vult, quod facilius sit habere conceptus definiti, quam conceptus definitionis, cum tamen stat quod conceptus definitivus sit notior conceptu definibili: unde ad habendum conceptum definitionis non sufficit concipere conceptum generis vel differentia ut dicit Buridanus. Sed ad habendum conceptum definiti sufficit habere conceptum speciei.

*Decem prædicamenta sunt decem principia rerum naturalium Porph.)* Intelligitur de principiis definitivis supponentibus pro rebus naturalibus, & non loquitur de principiis essendi.

*Dicens species esse separatas, rectè dicit, 7. Metaph.)* Et sic videtur quod universalia realia sunt ponenda, si essent separata à singularibus. Ibi dicitur quod Philosophus comparat ibi universale primo modo & secundo modo dictum ad invicem, quia qui ponunt universalia realia esse à singularibus separata melius & notabilius dicunt, quam illi qui dicunt esse conjuncta: & sic nõ vult quod talia sint ponenda,



nēda, sed vult quod Plato cum suis sequentibus melius & notabilius dixit.

*Deus & studiosus possunt prava agere tametsi non sint huiusmodi, 4. Topic. )* intentum Arist. hīc est neminem dici pravum, quod prava possit agere, id quod bifariam approbat. Tum primo quia studiosus & Deus, quos constat non esse pravos, possunt prava agere. Id quod de studioso nihil habet ambiguitatis, scilicet quod possit prava agere, juxta illud Damasceni. Omne creatum de se est vertibile, secundum electionem: De Deo si pro absoluto illo immensè bono sumatur, id sentire nefas est, tametsi ea possit, quæ nūc prava videri possint, quæ si ageret bona essent. Vel potest intelligi illa propositio de Deo sub conditione, cujus antecedens est impossibile. ut si dicamus quod potest Deus prava agere si velit, nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cuius antecedens & consequens est impossibile. Ut si dicatur; si homo est asinus habet quatuor pedes. At de Diis gentium nemo non concedit, secundum quorum fortasse morem Aristoteles hīc locutus est, Sic & Ovidius:

*Vir magnus bello, nulli pietate secundus  
Aeneas, odiis Iunonis pressus iniquæ.*

Ubi Iunonem iniquam appellat, quæ à gentibus Dea credebatur. Denique etiam non sine probabilitate dici potest, quod ille terminus, Deus, uno modo capitur substantivè, & illo modo capitur duodecimo Metaph. Ubi dicitur quod Deus est animal optimum & sempiternum, & sic non capitur hīc. Alio modo capitur adjectivè, & sic idem est & Deificus & studiosus, id est, virtuosus, & sic tunc capitur in prædicta auctoritate, & 1. Polit.

*Deus est anima mundi, 1. Cæli, & similiter vocat*

D 3

ibidem



*ibidem omnes intelligentias animas.*) Respondetur quod anima capitur ibi improprie, secundum quandam similitudinem, quæ talis est: quia sicut anima proprie dicta regit & distinguit & movet corpus, sic etiam intelligentia facit suo orbi cui appropriatur.

*Definitio est in prædicamento, 2. Topic.*) Respondetur quod Philosophus loquitur ibi figurative, ponendo totum pro parte, & vult, quod definitio ponitur in prædicamento non secundum se totam, sed solum secundum suas partes.

*Differentia sumitur à formis per Porphyrum.*) Dicitur quod forma debet in tantum valere, sicut conditio formalis seu perfectionalis.

*Demonstrationes non sunt de his, quæ sunt per accidens, 1. Post.*) Intelligitur juxta Averr. 4. Phys. com. 20. de his quæ sunt per accidens raro, fallit autem de his quæ sunt per accidens semper: nam de his quæ sunt per accidens, semper possunt fieri demonstrationes veræ non essentialis, quæ dicuntur demonstrationes dialecticæ.

*Dialectica non est scientia, 12. Metaph. & 1. Topic.*) Ibi dicitur quod vult quod Dialectica non est scientia specialis, sed est scientia communis, vel quod ibi loquitur de scientiis realibus quæ videlicet tractant de rebus, non de ente rationis & similibus.

*Duo habitus contrarii non sunt simul in eodem, 2. Poster.*) Intelligitur quod licet verum sit, quod non sunt in eodem actualiter, cum hoc tamen stat, quod unus actualiter, & alter potentialiter sive habitualiter stant simul in eodem.

*Deus est animal optimū, & sempiternū, 12. Metaph.*) Dicendum quod Philosophus loquitur secundum

dum



dum opinionem vulgariū qui dixerunt, Deos esse animalia, & posuerunt plures Deos universaliter. Dicitur etiam quod per Deum intelligitur corpus cœlestis: ut sit sensus, Deus, id est, corpus cœleste est anima optimum & sempiternum.

*Dabilis est minimus ignis. per Commentatorem,*  
7. Phys. Respondetur inter ignes actuales, & quod in certo ordine est dare minimum ignem, sed respectivè non est minimum ignem simpliciter dare.

*Definitum est notius definitione, 7. Topic.)*  
Intelligitur secundum rationes universales apprehensas per intellectum; & intelligitur de cognitione imperfecta, & quoad nos: sed de cognitione perfecta non est verum, ut patet intuiti,

*Definitio totius conveniens parti non est bona,*  
6. Top. Toti enim adequatur. Diuturniora sunt meliora, 1. Eth.) Intelligitur uno modo sic, Aliqua sunt diuturniora ratione actus & potentiæ, & sic conceditur quod illud quod est bonum & diuturnius est melius. Si autem ratione materiæ, tunc est falsum, quia tunc lapis esset melior, quam homo. quia lapsus diuturnior est quam homo, vel, secundum Rupertum, intelligitur de illis, quæ sunt eiusdem speciei, vel etiam dummodo minus diuturniori non sit annexa melior conditio, propter quod non oportet materiam primam melioris esse conditionis, & dignioris formæ substantiali.

*De definitis seu individuis potest esse scientia,*  
12. Metaph.) Intelligitur secundum rationes universales, & per intellectum apprehensas.

*Deus nihil intelligit extra se, 12. Metaph.)* Et sic sequeretur quod Deus nō intelligat ista inferiora.



Respondetur, quòd Deus nihil intelligit extra se tanquam per aliquod, quod est extra Deum, cum hoc tamen stat, quod Deus intelligit extra se per suam nudam essentiam. Vel dicitur quòd non intelligit extra se per medium & Phantasma, sed secundum suam simplicem essentiam. Sed diceris tamen, dicitur tertio de Anima, oportet quemcunq; intelligentem phantasmata speculari. Respondetur quod hoc intelligitur de intellectu humano sive dependente, & non de divino.

*De partibus autem animæ dicimus, 2. de Anima.)* Ubi videtur velle quod habeat partes. Respondetur quod Philosophus loquitur de partibus subjectivis seu de potentiis animæ, & hoc secundum rationem, & non secundum rem.

*Differentiæ ultimæ rerum non recipiunt magis & minus. Porphyr. & 8. Metaph. text. com. 10.)* Verum est in formis substantialibus perfectis, secundum se consideratis, fallit autem in accidentibus: ita glossat Comment. 8. Meta. in text. com. 10. ubi inquit quod forma substantialis non recipit magis, neque minus. homo enim non est majoris humanitatis, quam homo, & si fuerit, erit secundum quod est forma in materia. Nam quod accidentia recipiant magis & minus, clarum est, ut testatur etiam Porphyrius & Arist. in prædicamentis.

*De rebus per accidens non habetur scientia, 7. Meta.)* Intelligendum, quod de per accidens vel contingenter veris, non habetur scientia per propositiones categoricas de inesse & de præsenti.

*Demonstratio debet fieri ex primis, veris, immediatis*



*diatis necessariis, notioribusq; causis conclusionis,*  
 1. *Poster.*) Intelligitur de demonstratione propter  
 quid, quæ procedit ex propositionibus primis &  
 immediatis: propter hoc non sequitur: Demon-  
 stratio non procedit ex primis immediatis, ergo nõ  
 est bona.

*Duo accidentia non possunt esse in eodem sub-*  
*jecto, 12. Metaph.*) Intelligitur quod duo  
 accidentia naturalia & extensa non possunt esse in  
 eodem subjecto præcisè & adæquatè, & secundum  
 eandem partem subjecti, licet tamen accidentia  
 spiritualia possunt esse in eodem subjecto.

*Deus est substantia æterna, & actus simplex,*  
*movens sicut intelligibile, appetibile, causa agens,*  
*& finalis totius universi, summa delectatio & op-*  
*tima, & omnimodè immutabilis, inalterabilis,*  
*impossibilis, intransmutabilis, 12. Metaphys.)*  
 Vbi Philosophus vult, quod omnia perfectæ per-  
 fectionalia, nullam imperfectionem includentia  
 conveniunt Deo, & sunt Deus. Nam quicquid con-  
 venit Deo, est Deus: Et intelligitur sic, Deus est  
 substantia incorporea, capiendõ Ly corpus quovis  
 modo; scilicet tam pro corpore composito quàm  
 substantiali: & æterna, id est, non habens prin-  
 cipium neque finem: & actus purissimus nullam  
 potentiam includens, simplex, id est, non compo-  
 situs movens omnia mobilia sicut intelligibile &  
 appetibile.

*Deus est ens quo melius excogitari non potest*  
 4. *Phys.*) Ex illo habetur quod Deus est ens perfectis-  
 simum, & hoc est simpliciter verum.

*De futuris contingentibus non est determinata*  
*veritas, 1. de Æternitate.)* Dicitur, quod hoc est  
 D 9 verum



verum de futuro contingente, cuius veritas non dependet ex propositione, quæ est de præfenti determinatè vera; Modò veritas illius propositionis, Homo movebitur, dependet ex veritate illius, de præfenti scilicet, Homo movetur.

*Ditiores sunt magis fideles communitati ad communiora*, 3. *Polit.*) Intelligitur quod ut in plurimum sunt magis fideles, non quo ad commune bonum procurandum, sed magis ad conventiones & pacta. In illis enim magis creditur divitibus quàm pauperibus.

*Duo corpora non sunt in eodem loco*, 4. *Phys.* & 2. *de Anima.*) Intelligitur de loco proprio non autem communi: quia locus proprius est, qui continet solùm locatum, sicut est aer. Item naturaliter, per potentiam enim supernaturalè penetrativè, possunt esse plura corpora in eodem loco.

*Dimensiones in materia prima sunt perpetuæ*, per *Commentatorem.*) Videlicet ex sententia Averroqui & materiam cum Aristotele æternam posuit, eiq; dimensiones quasdam interminatas attribuit, quæ terminarentur & modificarentur ab unoquoq; agente, pro ratione formæ introducendæ.

*Dispositio medio inter agens & patiens respectu agentis, dicitur actio, & patientis passio*, per *Commentatorem*, 6. *Metaph.*) Intelligitur sic: quod res quæ est actio in ordine ad agens, dicitur actio: & in ordine ad patiens, dicitur passio: Cum hoc stat, quod actio & passio nō sunt propriè ad aliquid. nā reciprocatio & denominatio non sufficit ad hoc, quod aliquid sit propriè in relatione, sed ultra hoc requiritur, quod talia dicibilia prædicentur de se invicem mediante *Ly* ad aliquid essentialiter; Modò sic, non est de *Ly* Agens & patiens.

*Definitio*



*Definitio non debet dari per opposita, 6. Top.)*

Sensus hujus axiomatis est, quod oppositum non ritè definiatur ut oppositum, quia ut sic intelligi non potest sine opposito. Proinde cum relativorum esse sit esse, ad aliud, hoc est, cum tota eorum ratio & omnis natura, in respectu quodam seu oppositione consistat, non potest ejusmodi unum oppositum rectè definiri, nisi definiatur per alterum oppositum: Contra verò non est definiendus habitus per privationem, calor per frigus, bonum per malum; quia istorum esse non consistit in tali aliquo respectu. Si tamen hæc ipsa definiantur, quatenus opposita, oppositorum etiam fiat mentio in definitionibus eorum. Et dicetur habitus esse, qui opponitur privationi, calor qui opponitur frigori, bonum quod opponitur malo. Plura de hoc axioma vide infra in litera N. ibi, Nulla bona definitio, &c.

*Deus solum simplex est, 6. Metaph.)* Videtur

igitur quòd forma substantialis non sit simplex. Respondetur quod simplex capitur dupliciter. Vno modo ut privat compositionem partium inter se, & non aliunde: & sic anima intellectiva dicitur simplex, ex quo non est composita ex partibus, sed tamen æque bene est componibilis cum materia. Altero modo dicitur simplex, nec est compositum ex altero, nec est componibile cum altero, Et sic utiq; anima non est simplex: Deus autem simplex quia non est compositus, nec tamen aliquo modo componibilis. Dicit præterea potest: quod Deus nullam prorsus habeat compositionem, neque Physicam neque Metaphysicam; nihil enim impotentia & imperfectionis Sed est purissimus actus. Aliæ  
verò



verò omnes res habent aliquam ejusmodi compositionem, videlicet actus & potentia, &c.

*De equipollentibus idem est iudicium, regula communis.* ) Intelligitur, quoad sequelam, scilicet ab uno ad aliud, est bona consequentia: non autem oportet quo ad omnia: quia quoad modum significandi, non oportet, ut patet de Ly Homo & Risibile, quia Ly Homo significat sua significata absolute, sed Ly Risibile connotat.

*Deus & natura nihil faciunt frustra, 3. Caeli & 3. de Anima.* ) Intelligitur quod verum est, secundum totam speciem, vel ut in pluribus individuis; sed natura bene facit aliquid frustra, secundum unum individuum, ut producendo unum hominem cum sex vel octo digitis.

*Dubitare de singulis non est inutile, per Philosophum in predicamento Relationis & Metaphys.* ) Intelligitur dubitare per rationes de singulis non per se manifestis, & sufficienter determinatis, hoc non est inutile. De manifestis enim dubitare & jam sufficienter determinatis, non solum inutile, sed etiã stultum & perniciosum est ambigere. Unde non immerito etiam dicunt Theologi, quòd dubius in fide, infidelis sit, qui videlicet videns decretum Oecumenici alicujus Concilij, vel vnanimem consensum sanctorum Patrum &c. de dogmate aliquo, adhuc sibi licitum putat, de eo dogmate dubitare. Satis certus enim est scripturæ sacræ interpres, hujusmodi consensus, similiter iudicium ejusmodi legitimi & generalis Concilij, &c. Potissimum itaq; ax. hoc (circa unumquodq; non est inutile dubitasse, seu uti passim recitari solet: Dubitare de singulis non est inutile, ) habet locum, in iis quæ per se nota sunt minimè, & multum involvunt perplexæ obscuritatis, in quibus ad utramq; partem



partem argumentari potentes, facile verum affe-  
quuntur, uti dicitur in primo Topicorum. Non  
inutile est ergo in talibus utrinque ambiguis dubita-  
re, neutri parti omnino firmiter adhaerendo. Nam  
(ut vulgari jactatum est proverbio) qui nihil scit,  
nihil dubitat, &c. Eodem pertinet illa aliorum  
expositio: Dubitare de singulis non est inutile,  
non ita debet accipi, quasi omnia sint incompre-  
hensibilia: ac de iis nihil statui ac decerni possit,  
quid verum, quid falsum: uti Academici & Pyr-  
rhonij fecerunt de omnibus dubitantes, ac nos ni-  
hil scire posse affirmantes: qua de re ἀπορητικὸς  
id est ambigentes appellati sunt, ut Gellius lib.  
11. cap. 5. testatur. Sed is est Aristotelis sensus:  
Dubitare de utraque parte contradictionis propter  
rationes probabiles ad dubitandum urgentes, est  
valde utile. Vnde si quis sine ratione dubitat: tunc  
erit potius inutile.

*Dimittere sensum, & sequi rationem, debilitas  
est intellectus, 1. & 8. Phys.)* Intelligitur,  
si aliquis certè noverit sensus, & tamen propter  
modicam rationem quam habet per intellectum,  
aliter definit per intellectum, hoc est debilitas  
intellectus, quia malè judicat. Alioqui enim certis-  
simum est non rarò judicio intellectus corrigendū  
esse judicium sensus. Nam variis excausis modisque  
sensem falli contingit.

*Diversae operationes arguunt diversas formas,  
per Commentatorem, 12. Metaph.)* Intelligitur  
diversis suppositis, non autem in eodem suppo-  
sito.

*Deus non intelligit simplicia, per Avicennam.)*  
Intelligitur quod Deus non intelligit eodem modo  
per species, sicut nos intelligimus.

Deus



*Deus est innominabilis aliquo nomine, per Commentatorem de causis.*) intelligitur Deus est innominabilis aliquo nomine perfecto, omnem perfectionem importante seu exprimete, quam homo in eo cognoscere potest, propter quod multa nomina attribuuntur Deo, ut est sapientia, prudentia, salvator & consimilia, propter quod non unum tantum, sed multa nomina.

*De natura contrariorum est, se mutuo expellere 1. Metaph.*) intelligitur quod contraria non possunt esse in eodem subjecto inhaesive & formaliter, sed bene apprehensive & contentive, quia ab eodem continentur.

*De quanto aliquis est majoris possibilitatis, de tanto est minoris posse.*) intelligitur de posse activo, stat tamen cum hoc quod sint invicem potentia passivæ, ut est materia prima; sicut patet 1. Physo

*Diaphanum est invisibile, 2. de Anima.*) intelligitur quod vix & difficulter est visibile. Et ratio est, quia non videtur per speciem propriam sed per speciem extrinsecam, vel per colorem.

*Divisio debet dari per opposita, Per Boet.*) intelligitur quo ad species mediatas, non autem intelligitur, quo ad species immediatas

Denarius est mensura omnium rerum, quia est fidejussor in qualibet re, qua indigenus in omni necessitate 5. Eth.

Deterius semper est gratia melioris, 7. Polit.

Duplex est jus, scilicet legale & naturale. Naturale est quod habet eandem potentiam apud omnes homines, Legale vero est, quod est statutum ex lege, 5. Ethic.

Difficile est resistere consuetudini, quia assimilatus



milatur naturæ: facilius est tamen transmutare consuetudinem, 7. Ethic.

Delectationes bestię pravæ sunt ex natura, sed pravorum hominum est consuetudo, ibidem.

Delectatio conservat operantem in opere suo. 10. Eth.

Duplex est vita, scilicet contemplativa & politica, inter quas contemplativa est melior: quia ipsa est divina, alia humana. ibidem.

Deceptio & ignorantia plus propriè sunt animalibus quam scientia, 2. de Anima.

Duplex est appetitus hominis scilicet intellectivus, & ille dicitur voluntatis. Alius est sensitivus, & ille dicitur concupiscibilis, 3. de Anima.

Doctrina naturaliter procedit ab homine secundum operationem, quæ habet doctrina ad discipulum in primo lib. Poet. Arist.

Differentia sumitur à forma, per Porphyr.

Dimidium est prius toto secundum potestatem, totum autem est prius dimidio secundum actum, 6. meta. tex. com. 16.

Discipulus debet esse docilis, attentus & benevolus. Docilis cū ingenio, attentus in exercitio benevolus animo ad audiendum, in Boetio de Disciplina scholarium.

Deus est summum bonum super omnem substantiam, omnemq; naturam, quem cuncta petunt, cum ipse sit plenæ perfectionis, & minus societas indigus. Plato in Timæ.

Dociles nos natura edidit, & rationem nobis dedit imperfectam, quæ tamen perfici potest. Seneca ad Lucilium.

Disciplina bonos mores facit, & ergo illud sapiat unusquisque quod dedit. Seneca de morib.

Divitiis utendum, sed non est eis abutendum. Seneca de Morib.



De dubiis non definies, sed suspensam teneas sententiam. Seneca de formali vita.

Deum amabis sed illum in hoc imitaberis, ut omnibus prodesse, & nulli nocere possis, ibidem.

Deus malum facere non potest, sed nihil quod Deus facere non potest, ergo malum nihil est verum positivè Boetius, 3. de Consolatione.

Divina providentia rebus generandis non imponit necessitatem, quia si omnia evenirent ex necessitate, premia bonorum, & poena malorum periret, ibidem.



## E.



**E**ADEM sunt principia omnium predicamentorum, 12. Meta. tex. 19.) Intelligitur quod sunt eadem proportione: in omni enim predicamento est aliquid simile materiae, & aliquid simile formae, & aliquid simile privationi. Similiter etiam veritatem habet de principiis remotis, fallit de proximis. hæc Averr. com. 22. ibid.

*Eadem sunt principia essendi & cognoscendi, 2. Metaph. )* Respondetur quod Philosophus vult, quod principia sunt eadem in eadem demonstratione propter quid genera: quia sicut res habet esse in demonstratione per suam rationem propter quid, sic etiam habet cognosci, ut patet ex quid nominis demonstrationis propter quid. Vel intelligitur de principiis intrinsicis & essentialibus.

EX



*Ex duobus entibus in actu non fit unum tertium,*  
7. *Metaph.*) Scilicet unum per se: sed unum per ac-  
cidens: Ex materia vero & forma per se fit u-  
num, quia alterum est in actu, alterum in poten-  
tia.

*Entia nolunt male disponi, 2. Metaphysic.)*  
Ex illa authoritate sequeretur, quod omnia entia  
naturalia totius mundi seu universi essent benè &  
optimè disposita, & sic nulla essent monstra: di-  
cendum quod licet monstrum, secundum se non fit  
bene dispositum, tamen in ordine ad decorem uni-  
versi est dispositum bene, & ex tali relucet decor  
universi.

*Ens & unum convertuntur. 4. Metaphysic.)*  
Sunt enim transcendentia, quorum illud se habet si-  
cut subjectum, hoc ut propria passio.

*Effectus gerit similitudinem suæ causæ per au-  
thorem de causis.)* Intelligitur de causis particulari-  
bus: sed non de universalibus, id est, de Deo & in-  
telligentiis, de quibus non oportet.

*Entia metaphysicalia sunt abstracta à sensibus,*  
2. *Phys.* & 6. *Metaph.*) Ibi dicitur quod Arist. non  
vult, quod sunt realiter distincta, sed quoad mo-  
dum considerandi: sic quod Metaphysicus confide-  
rat de illis quæ non habent respectum ad modum,  
vel quo ad materiam, vel quo ad qualitates sensi-  
biles. Et per hoc consideratio Metaphysici dif-  
fert à consideratione Physici. Et hoc propterea,  
quia licet illa transcendentia, Ens, unum, bonum,  
verū, & alia id genus nō reperiantur in materiali-  
bus & sensibilibus: reperiuntur tamen in immate-  
rialibus & in insensibilibus. Et ideò dicuntur  
abstracta per indifferentiam, & benè possunt con-  
siderari sine materia, & sine subjecto sensibili.

E

De



De intelligentiis autem quæ item pertinent ad considerationem metaphysicam, clarum est, quod secundum rem & rationem abstractæ sunt à materia & sensibus.

*Ex ante & ente non fit ens per se, nisi secundum accidens, 2. Phys.)* Hoc est ex duobus entibus in actu non fit unum ens per se.

*Essentia prædicamentorum sunt impermixte, per Themistium, 2. de Anima.)* Intelligitur quod terminus unus prædicamenti non prædicatur essentialiter de termino alterius prædicamenti.

*Efficiens & materia coincidunt, 2. Phys.)* Intelligitur de materiali causa ex qua: sed non prohibet quod materia in qua ut subjectum scientiæ, scilicet intellectus, sit causa efficiens.

*Ex nihilo nihil fit, 1. Phys.)* Intelligitur per naturalem actionem. Omnis enim naturalis actio præsupponit subjectum. Vel aliter, Ex nihilo nihil fit, scilicet ab agente naturali sed bene ab agente supernaturali scilicet Deo: Is enim hoc universum ex nihilo creavit, hodieq; singulas animas rationales ex nihilo creat.

*Entia non mota, non sunt physice considerationis, 1. Top.)* Intelligitur sic, Entia, quæ non considerantur sub ratione motus, vel tanquam causa ad effectus, vel tanquam principia ad principiata, ista non sunt Physicæ considerationis, modò anima reducitur ad ens mobile tanquam ad causam efficientem.

*Entis passio est bonitas, 4. Metaph.)* Intelligitur de ente extra animam & de ente in actu, quia tali primo competit, nam 6. Metaph. tex. com. ult. bonum & malum etiam in rebus & verum & falsum sunt in Anima.

Ex



*Ex non quanto, fit non quantum, 2. Cæli.)*

Verum est quod ex non quanto non fit quantum continuum, licet benè discretum: & licet tres cōclusiones Grammaticæ scientiæ, non sunt quantitas continua, quia simplices qualitates in Anima, sunt tamen quantitas discreta, quia numerus.

*Ex uno nihil sequitur, 2. Prior.)* Intelligitur quod ex una propositione nihil sequitur syllogisticè, sed ex una benè sequitur enthymematicè.

*Eiusdem effectus non sunt diversæ causæ, per Auctorem de causis.)* Intelligitur sic, quod eiusdem effectus non sunt diversæ causæ subordinatæ: ergo etiam non sequitur. Intellectus infert, ergo non præmissæ, quia præmissæ, & intellectus sunt causæ subordinatæ tanquam ad efficiens & ad instrumentum.

*Ens nec est univocum, nec æquivocum, 4. Metaph.)* Intelligitur quod ens æquivocum à casu, sed benè à consilio, seu per analogiam: quia per prius de substantia, & per posterius de accidente.

*Entis diversæ sunt species, 1. Phys.)* Intelligitur capiendò species pro terminis minus communibus, non autem ens pro habitibus propriè dictis. Ens enim nō est genus, sed analogum respectu suorum inferiorum.

*Æquale est de esse quantitatis, 1. Cæli & in Præd.)* Intelligitur de quantitate finita, non autem infinita.

*Ex vero nihil nisi verum, 2. Prior.)* Intelligitur quod in consequentia bona & formali, ex antecedente vero nihil sequitur nisi verum.



*Aeterno nihil est prius, octavo Phys.)* Hoc est verum secundum tempus, cum hoc tamen stat quod aliquid fit prius secundum naturam.

*Eadem differentiae non sunt divisivae inferioris & superioris, in predicamentis.)* intelligitur de differentiis essentialibus, sed non accidentalibus, ut quantitas dividitur in finitum & infinitum.

*Aeterna non sunt in tempore, 4. Phys.)* intelligitur commensurativè, adæquatè commensuratio temporis non convenit aeternis.

*Ea quae scimus sunt minima, respectu eorum quae ignoramus, per Themistium.)* Verum est, quod ea quae scimus determinatè & in speciali, & non in universali seu confuso modo: quia in universali scimus omne ens per istam propositionem; Omne ens vel est, vel non est.

*Excellent sensibile corrumpit sensum, 2. de Anima.)* Et si sic, tunc unum illorum non est alterum, quorum unum contingit pati corruptivè, & aliud non. Sed sensum contingit pati corruptivè ex auctoritate, intellectum verò non: ergo sensus & intellectus sunt idem. Ibi dicitur quod sic intelligitur, quod excellent sensibile corrumpit sensum, quo ad dispositionem, non autem quo ad essentiam: & sic sensus materialis, sed non materia sensus corrumpit, propter appellationem.

*Embryo primo vivit vita vegetativa, & postea sensitiva.)* intelligitur quod prius apparent in embryone operationes potentiae vegetativae, quam potentiae sensitivae.

*Eligibilius est bonum circumstantionatum quam necessa-*



*necessariorum, & sine circumstantia. Philosophus in Eth.)* Intelligitur de bono naturę naturate, & nō de bono naturę naturantis: quia primum est bonum simpliciter, & summum bonum est maximè eligendum.

*Esuries est calidi & sicci, & sitis est frigidi & humidi, 2. de Anima.)* Intelligitur sic: Esuries est appetitus calidi & sicci nutritivi ad confortandū calorem naturalem, sed sitis est appetitus frigidi & humidi, & hoc ad restaurandum humidum radicalem, in quod agit calor naturalis.

*Eccho differt specie à sono primario. per Commentatorem, 2. de Anima.)* Intelligitur quod Eccho & sonus differunt specie secundum rationem specivocam, cum hoc tamen stat, q̄ sit unus & idem sonus in re; vel dicitur quod differunt secundum apparentiam auditus.

*Ex non homine fit homo, Phys. 1.)* Intelligitur quod ex non, non debet dicere circumstantiam causę materialis, sed circumstantiam temporis, id est, post non hominem fit homo.

*Eiusdem rei non debēt plura esse principia 1. Cæli, & 1. Phys.)* Intelligitur in eodem genere causandi, non autem in diversis, quia prima causa est causa omnium in genere causę efficientis seu conservantis, & etiam forma: vel anima est causa in genere causę formalis.

*Ens est prius Deo, Philosophus in Predicamentis.)* Intelligitur quod ens est prius quoad sequelam, nō autem quo ad naturam essendi.

*Effectus non est causa, 1. Metaph.)* Intelligitur cum reduplicatione, quod effectus ut sic, non est causa.



*Eiusdem non sunt plures actus. Commentator de substantia orbis.)* Verum est inter se specivoci, & essentialiter distincti.

*Aeternæ sunt species rerum.)* Intelligitur, formaliter vel virtualiter, secundum se, vel secundum suas causas.

*Ea quæ volumus agere ad amicos, sunt eligibilia quàm ad quoscunque alios, 3. Top.)* Intelligitur de vera amicitia, id est, de illa quæ fit propter bonum honestum, & sic illa amicitia amariæ non est vera amicitia, eo quod non fit propter bonum honestum.

*Ex æqualitate scitorum arguitur æqualitas scientiarum, per communem animi conceptionem.)* Respondetur quod hoc simpliciter non est verum, sed intelligitur ex præcisa æqualitate scitorum & modorum sciendi, æquè perfectè arguitur æqualitas scientiarum, & ergo illa consequentia non valet: Intellectus humanus scit tot sicut Deus, ergo est sciens sicut Deus.

*Ens extra animam dividitur in decem prædicamenta, 5. Metaph.)* Ubi videtur velle quod nullum ens in anima sit in prædicamento, & per consequens videtur quod Grammatica, Logica, Rhetorica, non sunt in prædicamento. Dicitur quod in prædicamento nullum ens est, quod non existit nisi in anima obiectivè & imaginariè, cum hoc tamen stat, quod ens in anima existens inhæsiè, ut scientia, sit in prædicamento.

*Ens & verum convertuntur, similiter falsum & non ens, 6. Metaph.)* Dicitur quod verum est, prout sunt passionis entis: sed non tenet veritatem, prout sunt passionis propositionis.

*Eius*



Eius qui creditur interest in unoquoque genere, eatenus certitudinem exigere, quatenus eius natura rei recipit simile, Eth. cap. 2.) Videtur quippe à Mathematico persuasionem recipere, & ab oratore demonstrationem requirere, ita etiam inquit Boeth. in 1. de Trinitat. Disciplinati hominis est in unoq; genere certitudinem quærere, secundum q natura subjecta postulat.

Eadem numero sunt, quorum materia est una, 5. Metaph.

Exemplorum non requiritur verificatio sed manifestatio. Commentator, 2. de Anima.

Ex eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, per Philosophum in prædicamentis.



## F.

**F**INIS est optimum & melius sic, non simpliciter, sed ad uniuscuiusq; substantiam, 2. Phys. tex. 7+. ) Nota finis dicitur optimum & melius, non simpliciter, id est, respectu omnium rerum, sed sciendum quod respectu eorum, quæ ad finem sunt.

Frustra dicitur cum non fiat quod propter aliud est, illius gratia, 2. Phys. text. 6 2. ) Sensus est frustra dicitur quod non consequitur finem, propter quem est factum; Ut si quis deambulet gratia ventris purgandi si non purget frustra dicetur deambulatio, dummodo tamen illud quod fit, sit aptum ad talem finem consequendum, alias non dicitur frustra: si enim quis lavet manus



ut sol eclipsetur, si postea non eclipsatur, non ob id lotio dicetur frustra: quia nihil faciebat ad illum finem.

*Flamma est magis ignis quam carbo, per Philosophum in Topicis.)* Intelligitur quod flamma plus lucet quam carbo, non autem quoad essentiam est perfectior seu magis ignis, sed quo ad lucem est perfectior.

*Finis est principium in intentione, & ultimum in executione, 1. Phys.)* Intelligitur de agentibus à proposito & cum deliberatione, non autem de agentibus merè naturaliter, seu in actione naturæ. In his enim non est illa apprehensio finis.

*Forma est agere, materia vero pati, 1. de Generatione.)* Verum est principaliter, interim tamen actio formæ quatenus materialis, subiectivè atque denominativè, etiam in toto est composito.

*Fama quam omnes homines famant vel exclamant, non prorsus solet esse vana & falsa, 7. Eth.)* Et in de somno & Vigilia, quod ab omnibus vel pluribus dicitur, fidem habet quod ita sit.) Dicitur, illud quod plures famant, præstat fidem. Unde ait Commentator ibidem, quod aliquod dictum famosum, secundum se totum esse falsum, est impossibile. Et intelligitur de sapientibus, omnimodè fide dignis, si plures sapientes dicerent & famarent, illud præstaret fidem. Nam ut ait Arist. in Elencho non oportet attendere quid quisq; dicat, sed quid sapientes, &c.

*Forma non est forma, 7. metaph. & per Autorem sex principiorum.)* Intelligitur quod formæ non est forma essentialiter & compositivè, sic q̄ una forma non



non componit aliam essentialiter, sed benè accidentaliter, sicut scientiæ sunt formæ ipsius animæ.

*Forma est simplex & indivisibilis* 2. *Phys. tex. com. 31. & per Autorem sex principiorum.*) intelligitur quod forma est simplex, id est non componitur ex partibus diversarum rationum divisibilium: & intelligitur quod non est in partes diversarum rationū divisibilis. Quidditas enim cuiusq; ei consistit in indivisibili, quantumvis res illa secundum esse Physicum sit extensa & divisibilis.

*Finis est melior iis quæ sunt ad finem*) Verum est hoc axioma de fine cuius, non autem est universaliter verum de fine cui, & ita locum tantum habet de fine principali non secundario.

*Felicitas humana est quid optimum, delectabilissimum, eligibilissimum*, 1. *Ethic.*) intelligitur, quod felicitas humana inter operationes humanas est quid optimum.

*Falsum dicitur non ens*, 5. & 6. *Metaph*) Scilicet ut sic: vel aliter etiam intelligitur capiēdo non ens improprie, scilicet pro non vero.

*Frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum* 1. *Cœli tex. 32. & 3. de Anima, tex. 45.*) Verum est de potentia quæ secundum speciem non reducitur ad actum, non autem dicitur esse frustra, etiamsi non in quolibet individuo reducatur ad actum. Pleniorē explicationem hujus Ax. vide etiam fol. 72.

*Finis movet causam efficientem*, 2. *Phys.*) Eo scilicet modo quo a pra est huiusmodi causa efficiēs moveri. Vnde cum Deus prorsus sit immutabilis & efficiat quidē omnia, sed propter se tanquam finē

E S

non



non nisi planè Metaphoricè & abusivè dicitur moveri à fine.

*Forma est prior materia, septimo Metaphys.)*

Et si sic, tunc sequeretur, quod forma esset ingenerabilis & incorruptibilis, quod est falsum, & contra Philosophum primo Physicorum, eo quod forma est generata. Dicitur quod Philosophus vult, quod forma est prior materia, hoc est prior prioritate dignitatis & perfectionis, non autem prioritate naturæ & generationis.

*Forma est que dat esse, 2. Phys.)* intelligitur

quod forma substantialis quæ est intrinseca & essentialis rei naturalis, illa dat esse formale rei, id est media. Dicitur forma substantialis, propter formam accidentalem: dicitur rei naturalis, propter rem independentem, quæ est Deus. Dicitur causa intrinseca, propter extrinsecas, ut sunt corpora supercœlestia: Dicitur essentialis propter qualitates primas, quæ sunt causæ qualitatis accidentales, sicut sunt caliditas & frigiditas, humiditas, siccitas. Dicitur, quæ dat esse rei, scilicet formale propter materiam, quæ est de esse entitativo. Ex sua enim natura, materia non habet actum formalem sed tantum entitativum propter quem scilicet est actu ens. Attamen informe & indeterminatum & prorsus potentiale.

*Frustra est potentia illa quæ non reducitur ad actum 1. Cœli & Mund. tex. 32. Et ratio ejus est quia ut inquit ibidem, Deus & natura nihil frustra faciunt & idem asseverat in 3. de Anima sex. 45.)*

Respondetur, verum est de potentia, quæ secundum speciem non reducitur ad actum, non autem dicitur esse frustra etiam si non in quolibet individuo non reducat ad actum. Non enim in convenit aliquam



aliquam potentiam secundum individuū frustrari, quia natura in agendo potest impedire, ut probat Arist. in lib. de Som. & Vigil. Secundum alios respondetur aliter, quod sit vera propositio, quando illa potentia principaliter ordinatur ad illum actū ad quem dicitur esse in potentia. Si verò non respicit illum principaliter, nō oportet quod frustrata potentia sit, si ad actum non deducatur: V. g. esto, quod quantitas Cœli esset in potentia ad actū divisionis, si nunquam reducatur ad actum non est frustra, quia istud possibile, quod est quantitas cœli, non ordinatur principaliter ad divisionem per suam potentiam quæ plura respicit, sed magis ad disponendum ipsum cœlum ipsi intelligentiæ, ad hoc quod possit recipere mediante ipsa qualitates suæ naturæ convenientes, & suis propriis operationibus, ad quas principaliter ordinatur, & jam licet non reducatur ad actum divisionis, propter hoc non dicitur frustra ejus potentia, & eodē modo est de potentia divisionis in minimis rerum naturalium. Nam 1. Physicæ Auscul. datur minima caro, ut patet tex. com. 36. nam licet potentia divisionis in talibus non reducatur ad actum, quia non datur minus minimo quod sit naturaliter dispositum; tamen illa potentia in quantitate non est frustra, quia ejus potentia, quæ plura respicit, non principaliter ordinatur ad hoc, sed potius ad disponendum materiam ipsi formæ, ad hoc quod subjectum, cuius est, possit recipere dispositiones convenientes suæ naturæ pro suis propriis operationibus, ad quas principaliter ordinatur, & ista sunt quæ communiter dici solent circa hoc. Plura vide apud Zimaram. fol. 88.

*Fortuna est causa per accidens eorum quæ fiunt propter hoc, extra, semper & frequenter, habentibus*



*tibus propositum, 2. Phys. tex. 52.)* intelligitur quod fortuna est causa propter effectum fortuitum, qui effectus non est causa, & per consequens non est fortuna. Dicitur per accidens causa, id est indeterminata, ad denotandum quod fortuitus effectus non procedit ex causis determinatis. Et ideo dicit Philosophus, quod fortuna est causa indeterminata & inmanifesta. Dicitur eorum quae fiunt &c. id est, respectu effectuum non intentorum, & dicitur hoc idem propter effectus intentos, qui non sunt fortuna. Et sunt duplices effectus, qui veniunt praeter intentionem. Quidam primo sunt ociosi, & sunt illi qui non sunt alicujus bonitatis vel maliciae, ut frictio barbae & hujusmodi. Alij sunt praeter intentionem, per oppositum videlicet non ociosi, & in talibus debet fieri fortuna. Tunc dicitur etiam semper & frequenter id est, quod fortuna habet fieri in effectibus contingentibus ut raro. Et dicit Albertus Magnus, si aliquem euntem ad forum contingeret semper invenire aurum, hoc non diceretur fortuna, nec fieri a fortuna. Et nota quod aliquid dicitur fieri extra semper & frequenter dupliciter. Vno modo ex raritate temporis, ut Ecclipsis solis. Alio modo ex causis, quia raro eveniunt ex determinatis causis, & de illo intelligitur autoritas: & sic patet quod Ecclipsis solis non dicitur fortuna, quia non fit ex raritate causae, sed ex raritate temporis. Dicitur in agentibus a proposito, ad denotandum quod fortuna solum habet fieri in agentibus ex deliberatione; propter hoc casus non est fortuna, quia fit in non habentibus propositum. Et ex illo patet quod infantes & animalia bruta non habent aliquam fortunam, sed casum.

*Finitum est cui potest fieri additio.)* Propositio  
non



non est universaliter vera, non enim omni finito additio fieri potest. Nam circulus figura finita est, non tamen sibi additio fieri potest. Cœli tex. com. 12. & 2. Cœli tex. com. 23. quod autem Circulus figura sit finita manifestum est, quia est uno contenta termino. Deinde entia finita in vigore uti loquuntur, non possunt recipere additionem secundum rem in propria natura, quia unumquodque ens emanat à principio, secundum quod est aptum natum emanare & non aliter. Et ideo talia sunt perfecta in genere, sed non sunt perfecta simpliciter non competit nisi Deo glorioso, sicut dicit Comment. 5. Metaph. in cap. de perfecto. Tale autem est ens infinitum in vigore.

*Finis est causa causarum 2. Phys. 31.*) Nota hic finem sumi proprie pro fine principali, quia ille est qui movet ipsum agens. Intelligitur verò propositio respectu formæ & ipsius esse, fallit autem respectu privationis. ad esse igitur positivum præcipua causa est ratio finis, quia illa necessitat agens, & agens formam, & forma materiam. Unde respectu corruptionis non est aliquis finis in se, sed ut inde aliquid generetur, & tamen illa corruptio non fit sine corrumpente.

*Forma est quodammodo privatio. 2. Phys.*) Intelligitur quod duplex est forma, scilicet positiva & privativa, modo privatio bene potest esse forma privativa, sed nunquam compositiva sive positiva.

*Forma non est separabilis à materia 12. Metaph.*) Intelligitur de forma materiali cuiusmodi cum non sit anima rationalis (non enim educitur de potentia materiæ, sed à Deo creatur ex nihilo incorporea & indivisibilis) bene potest separari à materia.

Forme



*Formæ substantiales elementorum suscipiunt magis & minus, per Commentatorem, 1. Cael.)* Intelligitur de formis accidentalibus vel dicitur, quod Commentator est locutus secundum propriam sententiam, quod formæ substantiales elementorum sint quasi mediæ inter formas accidentales, & formas substantiales alias, convenientes quidem cum his quatenus dant esse, cum illis autem quatenus possunt ut illæ intendi, & remitti.

*Figura est quæ termino vel terminis clauditur, 1. Metaph. & primo Euclidis.)* Intelligitur per se ad excludendum substantiam, quæ termino vel terminis clauditur per accidens, scilicet mediante magnitudine, ut patet primo Meteor.

*Finiti ad infinitum, nulla est proportio, 1. Cæli tex. 52.)* Intelligitur determinatè, sed benè indeterminatè. Vel aliter: Intelligitur de proportione commensurationis, non autem de proportione ordinis. V. g. si aqua maris infinita esset, utiq; à finita sponsia exhauriri non posset, attamen ejusmodi sponsia in eâ imergi, eiq; uniri posset; sic quoq; juxta fidem Catholicam in Christo uniantur duæ naturæ una infinita videlicet divinitas, & altera finita, scilicet humanitas, non propter commensurationem unius naturæ cum altera, sed propter convenientiam, seu ordinem quendam unius naturæ ad alteram. Ordinatur enim natura humana ad divinam, tanquam ad suam causam, & complementum, & tanquam imago ad suum exemplar, & c. Nil igitur mirum si hujusmodi duæ naturæ uniantur, etiamsi una infinita, altera finita, & c.

*Finitum & infinitum soli quantitati conveniunt,*



unt, 3. *Phys.*) Ut igitur quantitas dicitur dupliciter, tum de quantitate molis, tum de quantitate perfectionis: Ita finitum & infinitum contingit dici hoc vel illo modo.

*Forma est tota quidditas hominis, 7. Metaph.*) Intelligitur quod forma est perfecta quidditas hominis, & quidditas formalis perfectior est quam quidditas materialis.

*Forma est magis substantia quam materia, 1. Phys.*) Intelligitur pro ut Ly Magis dicit perfectionem.

*Fit autem quodlibet à quolibet. ibidem*) Ibi dicitur quod Philosophus non loquitur assertive, sed tanquam receptum ab antiquis, quia Anaxagoras dixit, quod formæ latitarent in materia: vel dicitur quod Philosophus vult jam, quod quodlibet ens naturale, quod fit vel aptum natum est fieri, fit à quolibet alio, id est, à materia, quia eadem est materia in omnibus generabilibus & corruptibilibus.

*Frigiditas non ingreditur opus naturæ, 4. met. Averr. 7. Metaph. com. 3.*) Limitatur propositio per Averroem eodem in loco, quod videlicet frigiditas per se non operatur ad formam, tamen, per accidens in quantum contemperat calorem, qui est eam per se dans formam, potest, & de facto concurret frigiditas in operationibus naturæ illo modo, quia contemperando calorem, reddit ipsum proportionatum actionibus naturæ, unde sic per accidens, & secundaria intentione corporatur.

*Forma est quoddam divinum, optimum & appetibile, 1. Phys.*) Intelligitur sic, quod forma est principium intrinsecum & essenziale existens, & quoddam divinum secundum assimilationem quia assimulatur primo enti & capi-  
endo



endo Ly divinum non essentialiter, quia ut sic, solus Deus est divinus.

*Phantasia est virtus activa, 2. de Anima.)* Id est virtus reservativa plurium phantasmatum, potens se referre super illa quotiescunq; vult.

*Forma simplex nullius est subjectum, secundum Boet.)* Intelligitur de forma simplici simpliciter prima, sicut est Deus qui nullius est subjectum.

*Fortuna est occulta & immanifesta hominibus 2. Phys. tex. 53.)* Cujus ratio est, quia cum effectus fortuitus non habeat causam per se, nisi per accidens, potest multas habere causas, quia variis effectibus per se potest conjungi, ut occurrere Rectori in via potest esse, aut quia deambulatum jeras, aut negociatum, aut emptum, aut aliis ex causis. Cum igitur non habeat determinatam causam is effectus, à qua per se procedat, merito dicitur occultus.

*A fortuna possumus dicere, quod nihil sit, & quod aliquid sit, utrumq; enim vere, & cum ratione dicitur, ibidem.)* Nihil enim fit per se à fortuna, fit autem per accidens, hoc autem est, secundum quid, fieri.

*Fortuna quodammodo est causa, & non est causa, 2. Phys. tex. 54.)* Intelligitur sic: Fortuna non est quidem causa simpliciter, sed est causa secundum accidens. & dicit Arist. ibid. has causas per accidens esse infinitas, id est, numero indeterminatas, & exemplo pulchrè ostendit ibidem.

*Forma corporeitatis nunquam separatur à materia per Commentatorem, 1. Phys.)* Respondetur quod ibi non loquitur Averroes de forma corporeitatis



porcitatis, quam posuit Avicenna, quem ipse hoc nomine pluribus in locis coarguit, sed loquitur de dimensionibus illis interminatis & perpetuis in materia. Unde secundum ipsum materia prima haud quaquam est ens in actu formali substantiali.

Facilius est aliquid facere, quam recte facere, 6. Top. c. 1.



## G.

**G**ENERARE sibi simile est naturalissimum operum in viventibus, 2. de Anima text. 34.) Dicitur hoc non quia magis sit inseparabile, quam alia quaedam operationes animastica. V. G. nutrire, sentire, intelligere, quia utiq; nutritio ratione inseparabilitatis, adeoque necessitatis magis naturalis est viventi, quam generatio, sed quod inter cætera opera animæ vegetativæ hoc opus sit perfectius, magisque intentum à natura. Pertinet enim generatio ad conservationem totius speciei. Nutritio verò ad conservationem viventis particularis.

Gravissimum omnium, quod est in medio, 1. meteor. Terra enim est grave simpliciter, quia residet sub omni corpore ut patet 4. Cæli & mundi text. com. 16.) Intelligitur propositio inter corpora simplicia, sed fallit comparando eam ad corpora mixta, quia datur aliquod mixtum, gravius ipsa terra ut plumbum. Hæc Aver. in 3. Cæli. com. 9.

F

Genera-



*Generationis non est generatio, 2. de Generat.)*  
 Forma enim & compositum generantur per generationem non ipsa generatio.

*Gaudeant universalia, quæ si sunt, monstra sunt; ibid.)* Respondetur quod Porphyrius loquitur ironicè & subsannativè contra Platonem, qui ponit universalia realia, distincta à singularibus, ut equum communem & hominem communem, à quibus singularia haberent esse.

*Generatio & corruptio sunt motus contrarii, 5. Phys.)* Largè loquendo de motu, ut nihil aliud significet quàm mutationem quandam Physicam sive instantanea sit, sive successiva. Vel accipiendo generationem & corruptionem pro aggregato, videlicet ex generatione & prævia alteratione, vel pro corruptione & prævia alteratione. Sic enim sumendo pro aggregato, benè possunt dici motus contrarii generatio & corruptio, propter qualitates scilicet illas contrarias, per quas unum & idem subiectum alteratur ad generationem unius formæ substantialis, & ad corruptionem alterius formæ substantialis.

*Genus est materia speciei, Porphyr.)* Intelligitur similitudinariè, non autem propriè: quia sicut materia prima est indifferens inferre quamcunque formam, sic etiam ipsum genus est indifferens ad quamcunque speciem.

*Generans non congregat inter diversa per Comment. 12. Metaph.)* Dicendum est, quod verum est, quorum quodlibet ens est ens in actu, bene enim congregat materiam & formam, quorum unum est in potentia, alterum in actu.

*Generans & generatum debent esse eiusdem speciei, 7. Metaph.)* Intelligitur de generatione univocâ & par-



& particulari, non autem de generatione universali & æquivoca.

*Generare est generans, 1. Physic.)* Respondetur quod generare capitur dupliciter. Uno modo concretivè, & sic generatio est generans: alio modo abstractivè, & sic non est verum.

*Generatio unius est corruptio alterius, 1. de Generatione.)* Intelligitur quod ad generationem unius sequitur corruptio alterius, quia quando generatur cadaver, corrumpitur ipsum animal: & hæc habet veritatem de generatione elementorum. Et debet addi ad minus, quia quandoque ad generationem unius sequitur generatio multorum, ut patet in divisione anguilla, & talis generatio multorum potest fieri artificialiter: & ergo debet dici, quod autoritas principaliter debet intelligi de generatione naturali, & non artificiali, Vide Toletum 1. Phys. q. 3.

*Grave movetur in medio, ratione medi, sicut homo in navi, per Commentatorem, 1. Cæli)* Ibi dicitur, quod Philosophus vult rectè, sicut homo movetur in navi non per se, sed ad motum navis: sic etiam grave simplex existens in medio non movetur, nisi medium moveatur cum eo.

*Grave existens, sursum movetur, deorsum à gravante suam gravitatem, vel à remanente prohibens etiam, Ibidem.)* Respondetur quod tantum vult, quod si aliquid, secundum naturam suam esset grave, & quiesceret violenter sursum, & tale debet incipere deorsum moveri: tunc necessarium est vel erit remanere prohibens, scilicet gravitatem sic, quod illud grave post quietem non possit inchoare suum motum, nisi per aliquod gravans gravitatem & remanens prohibens, & sic illa autoritas est vera.



*Generatio substantialis non habet ens in actu, 1. de Generat.)* Scilicet pro subjecto, quod enim dicitur alteratione mutari, est compositum totum. At quod generatione mutatur, & idem manet sub utroque termino mutationis, est materia prima. Nam compositum quod antea erat non manet, quod autem succedit antea non erat, neutrum igitur compositum seu ens in actu mutatur, quod enim mutatur, debet idem sub utroque termino mutationis manere. Subiectum igitur generationis & corruptionis non est ens in actu, sed ens in potentia videlicet materia prima.

*Generans non facit formam, 7. Metaphysic.)* Scilicet solitariè vel tanquam terminum completum generationis, talis enim terminus est ipsum compositum.

*Generatio est productio a non esse ad esse, 4. Phys.)* Iuxta aliud Averrois: Actio non dat pluralitatem sed perfectionem, id est actio facit ut ea quæ prius erant in potentia postea sint in actu, non autem ut plura sint in actu quam fuerunt in potentia. Plura in esse completo quam fuere in esse incompleto seu potentiali.

*Generatio fit propter formam, & non propter materiam, 2. Phys.)* Et ratio est, quia forma est magis natura quam materia, id est, perfectior quam materia.

Gratiosi medici incipiunt considerationem suam ab his quæ demonstrat naturalis, in de sensu & sensato.

Gratissima sunt beneficia, in quibus nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Seneca de beneficiis, Iuxta illud vulgatum, qui cito dat, bis dat,

HOMO





## H.



*HOMO est maximè intellectus*, 9.  
Eth.) Intelligitur quod intellectus  
est nobilior & principalior pars ho-  
minis. Vel dicitur, quod ille homo  
magis propriè dicitur homo, qui vi-  
vit secundum rationem & intelle-

ctum, quàm ille homo qui vivit secundum sensum,  
&c: Unde dicit Commentator de universali contra  
illos, qui vivunt secundum sensum, *Væ vobis, qui*  
*de numero bestiarum computati estis, divinum &*  
*optimum ignorantes, quod in vobis est.*

*Historiam de anima in primis ponimus, 1. de A-*  
*nima.*) Prima est ponenda inter scientias naturales,  
non autem simpliciter, sic enim inter scientias istas  
humanae Metaphysica est prima.

*Homines ut in plurimum attingunt veritatem,*  
1. Rhet.) Verum est in factis particularibus, non  
autem universalibus.

*Hoc est ens in anima, ergo hoc est ens, consequen-*  
*tia non valet, 1. Elench.*) V. g. Intelligitur sic,  
Hoc est homo, secundum opinionem, ergo hoc est  
homo, Consequentia non valet ex eo, quod esse ho-  
minem secundum opinionem, est esse hominem se-  
cundum quid.

*Homo bestialis centies millesies peior est bestia,*  
7. Eth.) Intelligitur quod homo vivens ut bestia se-  
cundum sensum & non rationem, est centies mil-  
lesies peior asino, vel aliquo alio animali irratio-  
nali.



*Homo est quoddammodo finis omnium, 2. Phys.)*  
 Respondetur quod Aristoteles ibi loquitur de rebus factis ab arte. Respectu talium, dicit hominem quodammodo esse finem, quia sane ad hominis commodum omnes artes inventæ sunt. Potest autem hoc axioma etiã simpliciter intelligi, ut homo quodammodo sit finis omnium entium naturalium, propter hominem enim hæc omnia creata sunt, quin & ipsa entia Metaphysica seu transnaturalia, puta, intelligentiæ habent hominem pro fine secundaria intentione, primaria enim intentione agunt propter se, secundaria propter hominem.

Homo est certissimum omnium animalium, in lib. de respiratione.

Homines valde pingues raro generant, in lib. de generatione animalium.

Honor est major in honorato quam in honorante, 1. Ethic.)

Homo semper indiget aliqua delectatione, quasi quadam recreatione propter multos labores, qui sibi occurrunt, 7. Ethic.

Homines unius gentis naturaliter sunt magis amici quam alterius, 8. Eth.

Homo sapiens sive felix indiget aliquo rebus exterioribus, quia natura non est sufficiens per se speculari, sed oportet quod habeat corpus sanum cibum convenientem, & reliquum famulatum: nõ tamen indiget multis rebus, quia non oportet felicem vel Philosophum esse Dominum terræ & maris 10. Eth.

Habitus est perfectior privatione, 2. Cœli.

Homo sapiens maximè est felix, 10. Eth.

Homo naturaliter est animal politicum, 1. Politicorum.

Honestum



Honestum & magnum genus vindictę est, ignoscere, Seneca de formula vitę.

Humiditas cibi veniens ad cerebrum infrigidata, facit hominibus rheuma, sive catharrum, in lib. de sensu & sensato.



I.

**I**MPOSSIBILE est continuū esse compositum ex indivisibilibus, 6. Phyl. & 1. Cęli.) Intelligitur impossibile est continuum componi ex indivisibilibus tanquam ex partibus integralibus. Modò quamvis fit quoddam continuum compositum & indivisibilibus: hoc est tamen ex partibus essentialibus, & non integralibus.

*Infinitem, secundum quod infinitum, est ignotum, 1. Phyl. tex. 35. & 2. Metaph. tex. 11. & 1. Poster.)* Intelligitur quod si infinitum esset in magnitudine vel multitudine, ipsum secundum quod tale, esset nobis gnotum. Et hoc quidem secundū cognitionem reinon nominis, nam quod ad nomē attinet infinitum cognoscitur esse id, quod fines nō habet. Deinde dicitur propositam propositionem esse veram de intellectu creato, qui finitus est, non autem de intellectu Dei qui infinitus est, comprehensionem habēs infinitam. Talis enim intellectus utiq; etiam potest comprehendere infinitum.

*In natura nulla res adeo vilis & parva est, qua non liceat inspectare aliquid divinum, & admiratione dignum, 1. de partib. animalium c. 5.)* Et auctoritate



Hermetis, mineralibus & vegetabilibus insunt proprietates, quæ si ab hominibus essent cognitæ, possent homines operari quicquid per magicas cōficitur artes.

*Innata est nobis via cognoscendi & præcedendi à notioribus nobis, ad notiora naturæ, 1. Physicorum textu. 2.)* Id est: naturalis ordo dicendi est, ut procedamus à notioribus nobis ad notiora naturæ. Et hic ordo vocatur ordo doctrinæ non naturæ. Etsi enim nostro naturali modo cognoscendi sit congruens, non tamen perinde conformis est, aut modo operandi naturæ aut naturæ ipsarum rerum. Non enim ut Arist. ibidem dicit, eadem nota sunt nobis & naturæ sive simpliciter. Unde secundum ordinem naturæ, non raro à notioribus naturæ, sive à notioribus simpliciter proceditur ad notiora nobis. Sunt autem ista notiora nobis non cognitione distincta, sed confusa. Unde quantumvis processus iste naturalis, sit principum inquisitionis, tamen posteaquam habetur scientia, aliter potest procedi.

*Individua sunt infinita, per Porp. cap. 3.)* Intelligitur non positivè sed negativè, id est, quia non est certus & definitus eorum numerus, possunt enim esse plura & plura. Vel aliter sunt infinita non quidem actu, sed potentia. Species utem utroque modo finitæ sunt, & actu, & potentia: quia semper sunt eadem species, licet non eadem individua.

*In parte animæ intellectiva non est alteratio, 1. Phys.* Intelligitur quod in parte animæ intellectiva, non est alteratio corruptiva, sed perfectiva, non quidem quod specie perficiatur (id est solum enim alteratur ex ignorante in scientem, sed etiam aliquando ex sciente in ignorantem, & non semper ex malo in bonum, sed etiam aliquando ex bono in malum) sed



seī quod non corrumpatur aut laedatur, sicut cōpositum aliquod aut forma aliqua materialis, quæ per alterationes istas etiam corrumpi solet.

*Intellectus omnia intelligit & scit, 3. de Anima tex. 4.)* Notandum quod intellectus scientiæ scit singula, dupliciter intelligitur. Vno modo realiter, & sic est falsa. Alio modo intelligitur receptivè sic, quod potest recipere species omnium intelligibilium, & sic intelligitur præsens autoritas. Nam sicut pupilla est quoddam omnium colorum receptivum, sic anima est species omnium intelligibilium, quia potest in se recipere species omnium intelligibilium.

*Intellectus infinita intelligibilia cognoscit, ibid.)* Respondetur quod intellectus in propositione universali, infinita intelligibilia cognoscit: vel dicitur quod Aristoteles loquitur de cognitione confusa & generali, non autem de discreta & determinata.

*Infinita relinquenda sunt ab arte, per Porphyrum.)* Sic etiam allegatur, quod infinitorum non est scientia. Respondetur quod uno modo intelligitur de infinitis secundum illam rationem, secundum quam sunt infinita, & sic de eis non habetur scientia. Alio modo sic: Infinitorum singularium non est scientia neque definitiva, neq; demonstrativa: quia termini singulares non sunt definibiles definitione stabili & mansiva.

*Intelligere est pati, 3. de Anima.)* intelligitur de intellectu acquisitione per phanata smata, non autem per nudam essentiam. Et illo modo Deus intelligit, quia omnia intelligit per suam nudam essentiam.

F S

Ista



*Ista est propositio affirmativa, Socratem contingit non esse, 2. τὸ εἰρηνεϊακόν.)* Intelligitur sic, quod illa propositio habet affirmativam veram, hoc est de modo, est tamen negativa de dicto.

*In omni consequentia bona & formali, oppositū consequentis repugnat antecedenti, est consequentis regula Logicorum.)* Intelligitur de opposito contradictorio, vel etiam aliquando de opposito contrario: non autem semper habet veritatem de subcontrariis. Vel dicitur, quod oppositum consequentis repugnat antecedenti, quoad stare simul in veritate, ut patet intuitu.

*Idem non sequitur ad utrumlibet contradictoriorum.)* Intelligitur quod ad idem contingens non sequuntur duo contradictoria copulativè ad invicem.

*In omni ente quod movetur, necesse est imaginari materiam, 12. Metaph.)* Respondetur quod materia capitur hinc improprie pro subjecto motus, & non capitur pro altera parte totius compositi.

*Impossibile est esse unum principium rei naturalis, 1. Phys.)* Intelligitur exclusivè sic, quod sit tantum unum principium & non plura. Alioqui enim si tria sunt, utiq; & unum.

*In perpetuis non est ponenda pluralitas individuum sub eadem specie, 12. Metaph.)* Et sic sequeretur, quod tantum unus esset intellectus in omnibus individuis speciei humanæ. Respondetur, quod intelligitur de perpetuis abstractis à materia secundū rem & rationem, ut sunt intelligentiæ quæ & sunt sine materia seu corpore, & sine ordine ad corpus perfectè possunt definiri. Cum hoc tamen stat, quod plures sint animæ intellectivæ, plures intellectus.



Intellectus humani pro multitudine hominum, quia anima rationalis habet ordinem essentialem ad corpus, nec habet esse completum nisi unito corpori. Et ideo etiam quamvis separata definitur per ordinem ad corpus, sic etiam licet materia sit perpetua sive neq; generabilis neq; corruptibilis, tamen in quolibet supposito est alia & alia, secundum numerum & non secundum speciem.

*In eternis non differt esse à posse, 2. Phys.)*

Sensus est, quicquid in eo quod verè & propriè æternum est, cuiusmodi quidem solus Deus est, esse potest, id ipsum etiam est. Est enim Deus purus actus in quo nulla potentia ad intra, quamvis bene concedatur potentia ad extra, utiq; enim multa potest Deus facere, quæ nec fecit, nec faciet. Sed ista non est potentia ad intra, sed ad extra.

*In Deo sunt omnia, 1 2. Metaph.)* intelligitur exemplariter, causaliter, causativè, ordinativè & conservativè, non autem in hæsiivè vel subjectivè vel compositivè.

*Idem accidens non est in diversis subjectis, 4. Metaph. & 1. Phys.)* intelligitur uno modo sic, quod unum simplex accidens non est in diversis subjectis, quorum unum non est pars alterius pro eadem parte & pro eodem tempore. Alio modo sic, unum & idem accidens non est in diversis subjectis in hærendi, sed bene in diversis subjectis essendi. V. g. scientia est in homine denominativè, in anima in hæsiivè, in libro autem objectivè.

*Intellectus est ens in pura potentia, 3. de Anima.)* secundū q̄ intellectus capitur dupliciter uno modo, secundū se & absolutè, & sic est ens in pura potētia & habet se tanquā tabula rasa, in qua nihil est depictū  
Alio



Alio modo consideratur, ut habet in se aliquas species & notitias, & sic est in actu.

*Illud quod nobis est innatum, non potest tolli à nobis, 2. Eth.*) Respondetur, quod Philosophus intelligit sic illud, Quod nobis est innatum positivè, illud non potest tolli, sed bene quod est nobis innatum privativè, hoc difficulter potest à nobis tolli.

*Impossibile est unum subjectum habere plures formas, per Authorem in de substantia orbis*) Intelligitur de formis substantialibus & totalibus, & non de accidentalibus nec partialibus, vel tenendo illam opinionem, quod plures formæ substantiales sunt in eodem composito, tunc intelligitur autoritas sic, quod impossibile est in uno & eodem composito esse plures formas non subordinatas. Sed non tenendo illam opinionem, tunc autoritas, ut dictum est, simpliciter est vera.

*Impossibile est, quod actio & passio ab una & eadem natura procedant, 3. de Anima*) Respondetur quod in actione vera & motu vero, qui reperitur in corporibus aut in virtutibus corporeis, impossibile est, ut actio & passio ab una, & eadem natura per se procedant, tamen in motu æquivoco idem potest esse per se movens, & per se motivum, id est per se intelligens & intellectum, in animabus abstractis intelligentiis, excepto intellectu materiali.

*Intelligere vel est imaginatio, vel non sive imaginatione, 1. de Anima tex. 13. & 3. de Anima t. 39.*) Intelligitur de intellectu in fieri, non autem de intellectu adepto sive in habitu. Quamvis enim in principio, ut moveatur intellectus & incipiat cognoscere indigeat phantasmate, tamen  
post



post rem semel intellectam, & servatis speciebus intelligibilibus, phantasmate jam non indiget. Deinde sensus esse potest, quod intellectus non intelligit sensibilia sine imaginatione vel sine Phantasmate. Immaterialia vero nempe substantias separatas & seipsam sine phantasmate; Denique inquit Averroes in via Aristotelis, sic existimandum est: Intellectum possibilem hominis paulatim ita posse perfici scientiis moralibus, mathematicis, naturalibus, ut tandem per unionem intellectus agentis, tanquam forma cuni materia, immediatè sine ullo phantasmate adeoque intuitivè cognoscat Deum, & substantias abstractas, etiam in hac vita; quæ Averrois imaginatio tametsi falsa, tamen, ab Aristotelis sententia fortassis haud aliena. Ex quibus patet Alexandrum Aphrodisæum & ejus sequaces perperam ratiocinari, ex hoc textu & tex. 39. 3. de Anima, contra immortalitatem animæ rationalis in via Aristotelis: Sic enim Alexander: Si anima non est sine imaginatione, non potest esse sine corpore juxta tex. 12. & 13. 1. de Anima: Sed non potest intelligere sine phantasmate seu imaginatione, per tex. 39. 3. de Anima; Ergo non potest esse sine corpore secundum Aristotelem. Hoc enim argumentum Alexandri quod male à quibusdam putatur insolubile in via Aristotelis, probabilissimè dilui potest, respondendo ad Minorem, uno ex illis tribus modis.

*Idem & similiter se habens semper idem aptum est facere, 2. de generatione tex. 56. Intelligitur quod idem in quantum idem, & eodem modo se habens respectu ejusdem materiæ, eodem modo dispositè & mediante eodem subjecto aptum natum est facere idem.*

*In generatione substantiali, nullum subjectum*  
*possibile*



*sensibile debet existere, 2. de generatione.)* Intelligitur quod non debet manere idem subjectum præexistens, hoc aliquid ex actu formali & substantiali: generatio enim est mutatio totius in totum, adeoq; terminatur in novum aliquid compositum.

*In nullo genere causarum processus est in infinitum, 2. Metaph.* Verum est in essentialiter subordinatis,

*Intellectus non potest simul & semel plura intelligere, 2. Metaph.)* Verum est distinctè & determinatè. Potest tamen intelligere modo confuso.

*Impossibile est multitudinem esse actu infinitam 3. Phys.)* Intelligitur sic, quod impossibile est entium divisorum, multitudinè esse infinitam actualiter, sed continuorum infinitam esse nihil prohibet: Sunt enim cōtinuo infinitæ partes, sed in actu vel divisè seu potentia, ita videlicet ut non possit dividi in tot partes, quin possit dividi ulterius. Unde solet dici, quod continuum habet partes infinitas non categorematicè sed syncategorematicè.

*In dictis per accidens non est idem ipsum & esse ipsum 7. Metaph.)* Dicitur, quod Aristoteles vult quod in prædicationibus accidentalibus non est idem ipsum, id est, significatum materiale, pro quo terminus supponit & esse ipsum, id est, significatum formale, quod terminus connotat.

*In somno animalis sensitiva potentia quiescit & vegetativa laborat, per Philosophum in de Somno & vigilia.)* Dicendum, quod debet intelligi q; anima sensitiva in somno perfecti animalis quiescit ab operationibus suis, quæ sibi deberent convenire, in quantum est sensitiva: sed non cessat ab his operationibus  
quæ



quæ sibi debentur ut vegetativa. Nam & in somno nutritur & augetur animal, imò plerunq; magis quàm in vigilia.

*In mobilibus velocitas sequitur proportionem virtutis moventis, 6. Phys.)* Hic distinguendum: Moventia sunt duplicia, quædam sunt naturalia, & talia agunt secundum ultimum sui posse, & de illis intelligitur authoritas. Alia sunt moventia voluntaria, & de illis non sonat authoritas. Unde cum primum movens sit movens voluntarium & liberum, non oportet quod moveat primum mobile infinita velocitate, quantumvis sit virtutis seu vigoris infiniti.

*In mathematicis non est bonum neque finis, 3. Metaph.)* Intelligitur quod mathematica non docet qualiter se debet habere homo moraliter, & quod non demonstrat simpliciter, neque per causam finalem, sed solum per causam materialem. Vel dicitur quod mathematicus non considerat ea quæ sunt, sub ratione boni, vel sub ratione finis, sed considerat ea sub mensuræ ratione.

*Intellectus nullius corporis est actus, 3 de Anima.)* Ibi dicunt aliqui, quod intelligitur de intellectu divino agente. Sed accommodatius ad textum dicitur, quod non est alicujus corporis actus tanquàm subjecti. Est enim mediatè in ipsa anima, consequens animam in gradu illo priori, quem participat cum intelligentiis sive cum substantiis separatis. Non autem secundum gradum illum, quem participat cum formis informantibus. Deinde nullus corporis est actus, est enim intellectio operatio planè inorganica, multum differens à visione & similibus operationibus animasticis, quæ & ab  
anima



anima ipsa , & ab organo seu instrumento corporeo efficiuntur , & ideo etiam dicuntur operationes totius conjuncti, non tantum denominativè, sed verè etiam elicitivè.

*Idem non movetur diversis motibus , 4. Phys.)*  
Aequè primò ac per se : per accidens enim nihil obstat, sicut patet de homine existente in navi, qui movetur, versus orientem in navi à se ipso, & versus occidentem ab ipsa navi.

*Idem est locus partis & totius , 2. Phys.)* Intelligitur de loco communi naturali, non autem proprio.

*Impossibile est idem esse in diversis locis, 4. Phys.)*  
Intelligitur, secundum se totum simul & semel, idq; naturaliter, supernaturaliter enim nihil prohibet idem corpus in pluribus locis existere per omnipotentiam divinam.

*Infinitum non potest pertransiri , 6. Phys.)*  
Intelligitur de infinito in actu, non autem in potentia, tale namq; spatium continuum habet infinitas partes potentia non actu.

*In magnitudine finita non est potentia infinita, 4. Phys.)* Intelligitur, quod in magnitudine finita activè & in hæsiivè non est potentia infinita. Dicitur activè, quia in magnitudine finita bene est potentia passivè infinita. Dicitur inhæsiivè propter potentiam non inhæsiivam, quæ est Deus gloriosus.

*Infinita uni accidunt , 2. Phys.)* Hoc intelligitur, secundum successione, & non omnia simul.

*Impossibile est unum elementum esse , 2. Cæli.)*  
Intelligitur exclusivè sic, quod impossibile est tantum



tum unum elementum esse sic, quod etiam non essent plura elementa.

*Idem non reducit seipsum de potentia ad actum,*  
4. Metaph.) Intelligitur de potentia essendi vel generandi, sic quod nihil reducit, id est, producit se vel generat se: cum hoc sit impossibile, alioquin aqua calefacta sive sola sive etiam adiuta ab ambiente, certe reducet sed ad pristinam frigiditatem.

*Impossibilis regressus à privatione ad habitum,*  
in prædicamento de oppositis.) Veritatem habet de privatione quæ privat potentiam: fallit de privatione privante actum. Nam qui in tenebris constitutus, est privatus actu videndi, & tamen adveniente luce transit ad videndum lucem. Sed à cæcitate non potest fieri transitus ad videre, quia non tantum privat actum, verum etiam & potentiam, &c.

*Idem est subiectum motus & termini motus,*  
5. Phys.) Intelligitur sic, idem est subiectum motus, & terminus motus in materia prima: & non intelligitur de termino propinquo, subiecti motus.

*Intellectus patitur ab intelligibili, 3. de Anima.)*  
Intelligitur de intellectu creato, qui recipit species ab intelligibili & de intelligentibus per intellectiōnem superadditam; modo intellectus primi motoris non recipit species, ut intelligat determinatione superaddita. Sua enim intellectio est suamet essentia, adeoq; solus ipse est purus actus.

*Intellectus non est corpus, nec virtus in corpore,*  
Commentator, 3. de Anima. Ibi expositores dicunt, quod Commentator non tenetur, quo ad illam partem, quod anima non sit virtus in corpore. Verè enim anima intellectiva est forma informans & non assistens



ut ipse putavit. Aliter dicitur, quod Intellectus nō est virtus in corpore, id est, non virtus educta de potentia materiae, nec in esse suo dependens à corpore, sicut aliae formae informantes.

*Iustitia est praeclarissima virtutum, 5. Ethic.)* Intelligitur de iustitia perfecta, non autem imperfecta; quia iustitia perfecta includit in se omnes virtutes.

*Illud quod alitur, non patitur à nutrimento vel ab alimento, sed è contra, 1. de Anima.)* Notandum, istam authoritatem sic intelligi, quod alitum non patitur ab alimento per se & primarie, cum hoc tamen bene stat, quod patitur secundarie & per accidens: quia omne agens in agendo repatitur si modo communicet in materia, ut habetur 1. de generatione, nimirum assimilatur ipsum alimentum alito, non alitum ipsi alimento, Unde hic actio principalis per se, est ipsius aliti.

*In quolibet genere latent equivocationes, 7. Phys.)* Dicitur quod Aristoteles non vult, quod genera sint æquivoca proprie, sed capit æquivocationem valde communiter, & intendit quod in quolibet genere sunt species, quæ habent inter se diversas rationes specificas, sed nō in ordine ad genus. Vel dicatur quod vult, quod genera magis ample significant sua significata quam species.

*In quibus contingit magis amicos participare, sunt magis eligibilia, quam in quibus non, 2. Top.)* Et sic sequeretur, quod pisa amicorum essent magis eligibilia, quam pulli aliorum: similiter sequeretur, quod artes mechanicæ amicorum essent eligibiliores, quam scientiæ liberales aliorum. Intelligitur ergo primo, de bonis per se & honestis propter primam instantiam. Et hoc intelligitur, dummodo de aliis bonis non conveniat præ eminentia bonitatis propter



propter secundam instantiam. Sed secundum alios intelligitur cum restrictione five cum reduplicatione, ut omnia bona in quibus participant amici, ut sic sunt eligibilia, & sic, quamvis artes ut illiberales, absolute non sunt eligibiliores tamen in quantum eis participant amici sunt eligibiliores. Sic etiam dicitur de alia instantia. Interim simpliciter ut dictum est, artes liberales sunt eligibiliores; sicut dicimus quod agens ut agens, sit nobilius passio; Et tamen fieri potest ut passum sit simpliciter nobilius agente, ut contingit si ignis agat in hominem. Homo enim proculdubio simpliciter est nobilior igne.

*Illud quod per se est eligibile, est eligibilius, quam id quod est eligibile per accidens, 5. Top.)* Respondetur ibidem ut sic, quatenus videlicet est eligibile per se. Simpliciter enim aliquando alterum potest esse eligibilius.

*Illud est melius, cuius privatio est peior, 3. Top.)* Illa authoritas non est simpliciter vera, nam datur instantia de sentire & intelligere. Nam privatio huius, quod est sentire, est peior quam privatio huius quod est intelligere. Et tamen in veritate habitus huius quod est sentire, non est melior quam habitus huius quod est intelligere: patet aut. quia ad privationem sensus sequitur privatio intellectus, eo quod nihil intelligitur, nisi quod prius fuit in sensu: & etiam privatio materiae primae est peior, quam ipsius compositi, tamen ipsius non est melior habitus. Respondetur, quod intelligitur, ubi unum non includit aliud, iam privatio sensus in homine includit etiam privationem intellectus in homine. Privatio materiae primae, includit privationem compositi.

*Ignis non est visibilis, author sphaera, intelligitur*



*secundum Marsilium sic.*) Ignis in prima sphaera non est visibilis, quia ut sic est maximè perspicuitatis & subtilitatis, ut patet, quia astra Coeli per ipsum videntur. Sed ignis est visibilis solum, prout est permixtus cum materia terræ, sicut est ignis circa nos.

*Idem non est scitum & opinatum, 2. Posterior.)*

Hoc est verum eodem modo, cum hoc tamen stat, quod aliquid fit uno modo scitum, alio modo opinatum, scilicet ratione diversorum mediolorum. Quatenus enim per demonstrationē aliquid cognoscimus, scimus, quatenus id ipsum per rationem aliquam probabilem, opinamur.

*Intellectus, & intellectum, & intellectio sunt idem in abstractis à materia, 3. de Anima text. com.*

19.) Simpliciter vera est tantum de Deo, Aliquo modo tamen etiam de intelligentiis, quæ in intelligendo nullo modo dependent à corpore nec ut ab instrumento nec ut à subjecto. Unde veritatem non habet de intellectu nostro possibili, qui intelligendo dependet à phantasmatis: siquidem oportet intelligentem phantasmata speculari, ut dicitur in 3. de Anima, tex. com. 39.

*Idem non agit in corruptionem sui ipsius, 2. Phy.)*

In oppositum videtur esse semen, quia forma seminis facit esse corpus animatum: & quam cito est corpus animatum, tam cito desinit esse forma seminis, ergo semen agit ad sui ipsius corruptionem. Respondetur quod autoritas intelligitur in sua primaria actione & per se, cum hoc nihil prohibet, quod idem per accidens agere potest in sui corruptione: patet, quia organizatio corporis, illa fit à forma seminis, unà cum influentia corporis cœlestis: & tamen quando illa fit, tunc desinit esse forma seminis, & sic semen agit de per accidens ad sui corruptionem.

Idem



*Idem est agens, disponens materiam, & inducens formam, Averr. 7. Metaph. in com. 31.)* Respondetur, quod propositio, veritate habet in transmutatione substantiali à natura facta, & intelligitur respectu immediatè disponentis materiam, stat autem disponere materiam alterando materiam, & tamen natura introducit formam substantialem, licet enim multæ sint differentiæ inter naturam & artem, quas pro nunc nolo persequi, tamen una est ista ex illis, quia ars non potest producere immediatè formam substantialem, quia omnes formæ introductæ ab arte sunt accidentia, ut patet ex *Physic. com. 13.*

*In nobis non est odoratus, Commentator, 2. de Anima.)* Videtur igitur quod nos deficiamus in vero sensu. Respondetur; Olfactum hominis esse imperfectiorem, aliorum animalium olfactu in percipiendis odoribus, quantum ad distantiam & quantum ad remissionem. Alia enim animalia remissos odores percipiunt, & in magna distantia, ut canes & vultures & alia huiusmodi, Homo autem non percipit nisi propè & intensos, vincit tamen homo in percipiendis differentiis pluribus odorum.

*Indivisibile non potest esse æquale, 1. Physic.)* Et videtur, quod intellectus non potest esse formatus scientiis & virtutibus, & alteri intellectui æqualis vel inæqualis quoniam est indivisibilis. Respondetur, verum est, quod indivisibile non potest esse æquale qualitate corporali, sicut est caliditas & frigiditas: sed potest esse æquale qualitate spiritali, & hoc non est inconveniens.

*Indivisibile ad quodcumq; se divertit, totaliter se divertit, 3. de Anima.)* Illa autoritas dupliciter in-



telligitur. Uno modo sic, quod indivisibile non est secundum unam partem in uno, & secundum aliam in alio: & sic simpliciter est vera, quia indivisibile non habet partes. Alio modo sic, indivisibile quocumque se divertit, id est, secundum quamlibet partem se divertit, & sic tunc authoritas est falsa, eo quod præsupponit indivisibile habere partes, quod non est verum. Uterior responsio potest sumi ex declaratione axiomatis sequentis.

*Indivisibile seu simplex cum attingitur, totum attingitur aut nihil, pro eo quod non habet partem & partem, 9. Metaph. tex. 22* ) Dicitur sensum esse quod non attingatur secundum partem & partem ( in simplicibus enim seu indivisibilibus, non est dicere totum nisi per privationem compositionis & partium ) sed ex hoc non sequitur quod si attingatur, attingatur omni modo. Unde etiam si DEUS ab homine cognoscatur in hac vita, vel etiam clarè videatur in altera ( totus quidem cognoscitur & totus videtur ) sed non totaliter seu omni modo, sic enim à se solo cognoscitur. Nam & simplex est Deus, & simul etiam incomprehensibilis. Et tamen si non est aliquid & aliquid, tamen est aliquod unum, quod æquivaleret infinitis. Unde idem latet, & patet quidem ad intuendum, sed latent ad comprehendendum, hoc est non sicut in aliqua re composita una pars latet, altera apparet, sed quia illud unum simpliciter infinita existens perfectio, infinitis modis potest cognosci.

*Intellectus divinus speculatur omnia, per Boetium, de Consol.* ) Et per consequens videtur, quod intellectus divinus speculetur phantasmata. consequens est falsum, & contra Philosophum 12. Metaphys. ubi dicit: Intellectus divinus est purè actus. Illa authoritas intelligitur dupliciter: Uno modo





modo obiectivè, alio modo instrumentaliter. Respondetur ergo, quod intellectus divinus intelligit phantasmata obiectivè, & non instrumentaliter, & hoc vult Boetius.

*Ignis est principium argumentationis, 2. de Anima.*) Intelligitur sic, Ignis, id est, calor naturalis est principium, scilicet instrumentale argumentationis.

*Idem non est agens & patiens, 9. Metaph.*) Intelligitur respectu eiusdem.

*Intellectus est denudatus ab omni eo quod intelligit, 3. de Anima.*) Si sic, videtur quod non potest intelligere seipsum. Respondetur quod intelligitur, dum intelligit directè per species proprias & distinctas, & nondum intelligit per species reflexas reflexè & alienas, & illo modo intelligit seipsum.

*Idem corruptum in numero non reverti potest, 2. de generat. text. 70. & 2. de anima.*) Querit Arist. ibidem an regressus fiat secundum idem numero ita, ut corruptum & mutatum idem numero redeat, sensus quæstionis notus est: queritur enim an aqua, ignis, Leo, calor vel aliquid horum, semel corrupta possint ab aliquo naturali agente, iterum produci eadem numero prorsus, solvit ipse dicens, quod in substantiis perpetuis idem numero redit; ut sol idem numero redit ad Arietem, & hoc, quia non mutatur in substantiam sed localiter movetur, & qualis est mutatio, sic est reditus mobilis: quia enim non mutatur substantia, redit eadem. At in corruptibilibus substantiis, quæ sic sunt, ut possint non esse, impossibile est, post corruptionem eadem numero redire: Sed specie solum, &c. At secundum rei veritatem, corruptum, idem numero reparari non potest, intellige de potentia Physica seu naturali, non autem de



potentia supernaturali. Deus enim omnia permanentia corrupta reducere potest, Et sic resurrectionem mortuorum, tametsi non demonstrat natura, demonstrat tamen scriptura: tametsi non præstat potentia naturalis, tamen omnipotentia divina.

*Intellectus & intelligibile debent esse proportionata, ibidem.)* Verum est secundum assimilationem, vel secundum rationem intelligibilis, non autem secundum rationem quantitatis.

*Intelligentia non sciuntur nisi per motum Averr. 8. Metaph. & 12. Metaph.)* intelligitur de scientia physica. Intelligentias enim demonstrat Physicus per motum, dicens; Omne quod movetur, ab alio movetur. Mobile igitur æternū, habet movens æternum, movens autem æternum non potest esse virtus in corpore, quia illa non potest semper movere, ergo virtus sine corpore immaterialis abstracta & per se subsistens & completa sine corpore. Sic Arist. & Averr. statuentes (licet falso) mundum & motum ab æterno, probant intelligentias per motum.

*Intellectus humanus habet materiā, 12. Meta.)* intelligitur secundum S. Thomam & Buridanum sic, id est, habet in se quandam virtutem receptivā specierum materialium. Vel sic dicitur, quod per materiam intelligit aliquam operationem, per quam intellectus humanus differt ab intellectu divino, & sic dicit Albertus, quod omnes res infra Deum habent materiam vel aliquid proportionabile materiæ.

*Intellectus est separatus à corpore, 3. de Anima.)* intelligitur, id est, non est alligatus alicui organo corporeo. Intellectum enim esse separabilem, significat non esse organicam: nec in operatione sua à corpore pendere ut à coniuncto, causa, vel principio.  
Infinito



*Infito nihil est majus, 3. Phys.* intelligitur de infinito, quo ad extenſionem: quia illo modo nihil poteſt eſſe majus quo ad quantitatem.

*Idem non eſt cauſa oppoſitorum, 2. Phys.*) intelligitur idem agens particulare, non eſt æquè primo cauſa oppoſitorum, ſpecivocè diſtinctorum, propter agens univerſale, ut eſt Deus vel ſol. Dicitur æquè primo, quia idem bene poteſt eſſe cauſa unius per prius, & alterius per poſterius, unius per ſe alterius per accidens, &c. Dicitur ſpecivocè diſtinctorum, quia pater habens filium, eſt cauſa oppoſitorum, videlicet patris & filij: Sunt enim iſta oppoſita relativè.

*Ignis in ſua ſphæra corrumpitur, ut inquit Egidius.*) Et licet ſibi non poteſt implicari contrariū formaliter, eo quod aliqua non aſcendit, ſed tamen poteſt ſibi applicare virtualiter, quia ignis poteſt conſiderari aliquo modo per conſtellationē frigidam: & ſi ſic, tunc deſcendit, quia grave movetur deorſum, & ſic per talem motum corrumpitur ignis. Vnde ignis non eſt corruptibilis naturaliter loquēdo, ſecundū ſe totū, ſed ſolū ſecundū partes tamen per potentiam divinam poteſt corrumpi.

*Intellectus ſequitur rem intelligendo, 3 de Anima.*) intelligitur de intelligendo aliquo ſimplici conceptu & non diſcurſivo.

*Ignorato motu neceſſe eſt naturam ignorari, 3. Phys. tex. 1.*) Si ſic, quomodo ignorato motu dicit naturam ignorari, cū dicat, 2. Phys. tex. 6. naturam eſſe per ſe notam. Reſpondetur quod natura duplicem habet cognitionem, & an ſit, & quid ſit. Ipſam eſſe per ſe, notum eſt: quid autem ſit, non eſt per ſe notum, ſed ignorari poteſt, & de hac cognitione definitiva dicit, quod qui ignorat



quid sit motus, ignorabit etiam quid natura sit.  
Per motum enim natura definitur.

In infortuniis, virtus relucet, 1. Eth. cap. 2.

In obscuris oportet uti apertis testimoniis, 2. Ethic. cap. 2.

In re frequenti cognoscitur habitus, 3. Eth. cap. 14.

Lactator maximè est vituperandus, 4. Eth.

Iuuenis non potest esse sapiens, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore, 6. Eth.

Impossibile est prudentem non esse bonum, ibidem.

In civitate sunt tres species: scilicet divites, pauperes, mediocres, inter quos optimi sunt mediocres, quia semper medium est optimum, 2. Polit.

In magnis negotiis oportet unum ordinari ad unum opus, quia melior est cura, quæ incensa est circa unum quam circa plus, 4. Polit.

In dicendo utimur exemplis, ut facilius intelligatur illud, quod dicitur, lib. 1. de Poet.

In firmo, est continua tristitia, & mœror inconsolabilis, ibid.

In quolibet genere est aliquod bonum, licet in eo inveniatur aliqua non bona. Comment. 1. de arte Poet.

Illud est superfluum in definitione, quo ablato, illud quod remanet, manifestat diffinitum lib. 6. Top. cap. 3.

Impossibile est speculari universale, nisi per inductionem 1. Poster. tex. 33.

Illa demonstratio est dignior, quæ utitur dignioribus principiis, ibid. tex. 43.

Indivisibile, non potest moveri nisi per accidens, 6. Phys. tex. 36.

In quiescendo & sedendo, anima fit prudens 6. Phys. tex. 20.

Instans, est principium futuri, & finis præteriti, 8. Phys. tex. 11.

Illud



Illud est melius, quod optimo propinquius est. 2  
Cœli tex. 56.

In divinis, actio eorum prima intentione est  
propter suum esse: secundaria verò, propter aliud.  
2. Cœli comment. 17.

In montibus non fit pruina lib. 1. meteor. cap. 4.

Ire de præcedentibus ad posteriora, est magis fa-  
mosum. 1. de anima com. 11.

Is plurimum habet, qui minimum cupit. Sene-  
ca de morib.

Iustus, secreta non prodit. idem de just.

In omnibus tam maximis, quam minimis debet  
implorari auxilium Dei. Plato in Timæo.

Ira vitanda est non moderationis, sed sanitatis  
causa. Seneca. lib. 2. epi. 18.

Incertum est, quo loco mors te expectat: tu ve-  
rò eam in omni loco expecta. idem lib. 3. epi. 261.

Id sapit unusquisq; quod didicit, idē de morib.

Impossibile est, somnium secundum totum esse  
falsum. Arist. de Som.

Inter animalia, solus homo est ambidexter lib. 2  
de animalib.

Individuum non generatur essentialiter, nisi ab  
individuo ejusdem speciei 1. Metaph. com. 32.

Illud quod est causa, ut alia sint vera, est verif-  
simum. 2. Metaph. tex. 4.

Impossibile est omnium esse demonstrationem.  
3. Metaph. tex. 4.

In æternis, non est corruptio, nec malum, nec  
peccatum. 9. Metaph. tex. 19.

In sempiternis nulla est potentia, ex. 17. ibid.

Indivisibile omne, quod non habet materiam,  
12. Metaph. tex. 5.

Impossibile est, quod duo motus contrarij sint  
super eundem polum. 12. Metaph. tex. com. 47.

Ignorare vitia, est melius, quam scire ea, 12.  
Metaph. com. 51.

Infirmans



Infirmans, ponit sanitatem, esse felicitatem: pauper verò factus, divitias, 1. Eth. cap. 4. Com.

In modo, est utrumq; extremum in actu, sed non in ultima perfectione Com. 1. Phys. com. 56.

Juvenes custodiendi sunt, ut non dicant aut audiant aliquid turpe quia ex dicere aut audire, aliquid turpe sæpe facere, contingit 7. Polit.

Iustum est auxiliari pauperi, 1. Rhetor.

Ira est appetitus cum tristitia propter apparentiam sui ipsius vel suorum, 2. Rhetoric.

Ira est factiva inimicitiae & odij. Ibidem,

Infirmi coeuntes & bellantes & amantes, scientes & universaliter aliquid desiderantes, & non assequentes, illi de facili irascuntur, 2. Rhetoric.

Inferiora à superioribus reguntur in lib. de Regimine Principum.

Ille est beatissimus & securus possessor sui, qui sine solitudine expectat, ibidem.

Ille non tollit munus gratis, qui cum rogasset, accipit: quia optimum est prævenire desiderium rogantis: Seneca de beneficiis.

Ingratus est ille qui se beneficium accepisse negat, quod accepit, ibidem.

In dando beneficia eligendus est vir simplex & integer, memor, gratus & abstinens: Seneca de beneficiis.

In omni tractatu fieri decet, ut inter initia consideretur quid sit de quo agatur. Plato in Timæo.

Inter animalia longissimæ vitæ est homo & elephas, in lib. de longitudine & brevitate vitæ.

In



In bonis exterioribus non est felicitas, quia ipse felix nullo bono exteriori indiget, 7. Polit.

Inter omnia animalia solus homo habet rationem 7. Polit.

In minimis etiam rebus auxilium divinum debet implorari, invocandus est enim pater omnium rerum, quo prætermisso, nullum ritè fundatur exordium, Boet, 3. de Consolatione.

Iustum est facere gratiam ei, qui gratiam facit lib. 1. Rhetor. Arist.

Iustum est auxiliari amicis, ibid.

Intellectus est lumen, quod Deus infundit animæ, Arist. lib. 3. Rhetor.

Impossibile est non corpus in corpore moveri. aut. 6. princip. cap. de actione.

In loco est, quicquid à loco circumscribitur, idem cap. de Vbi.

Illud ponit aliquis, quod à viro probato dictum est, Arist. lib. 1. Top. cap. 2

Invidus est, qui tristatur de prosperitate bonorum, cap. 3. lib. 2. Top.

Incertum est, si occiderit sol, an adhuc sit super terram, eò quòd tunc sensum amittimus, lib. 3. Top. cap. 9.

In plantis est una anima in actu, plures verò in potentia, & ideo etiam pars earum abscissa, vivit.

Interempto genere, interimuntur species, Boeth. lib. division.

In naturalibus concupiscentiis, pauci peccant. 3. Eth. cap. 13.

Ira, promovet actionem fortis, 3. Eth. cap. 10. Com.

Irasci, in quibus non oportet: & non irasci, in quibus oportet, insipientis est, 4. Eth. cap. 14.

lactator vituperabilior est mendace, ibid.

In



In infortuniis, refugium est ad Amicos, 8. Eth. cap. 1.

In actibus humanis, minus creditur sermonibus, quam operationibus, 10. Eth. cap. 11.

In pravus, ac malè dispositis, corpus dominatur animæ 1. Polit.

Impossibile est, non diligentis Domini servos diligentes esse, lib. 1. Oecon.



## L.

**L**OCUS totius, & locus partis idem est, 1. Cæli tex. com. 19. 77. & in 2. Cæli tex. 35.) Limitat Commentator istam propositionem in 3. Phys. in com. 52. de loco secundum speciem, non de loco secundum numerum, quia major est locus totius, quam locus partis.

*Lumen non est corpus, 2. de Anima.)* Intel-  
ligitur lumen non est corpus substantiale: sed bene  
est corpus quantificatum concretivè, vel lumen non  
est corpus resolutum à corpore lucido, vel sic lumē  
non est corpus extensum seu extensivè sive extensio-  
ne propria.

*Locus communis est qui continet omnia, 4. Phys.)*  
Intelligitur sic qui continet omnia alia à se præ-  
ter cælum quod continet omnia, non tamen seip-  
sum

*Locus non est de in loco, ibidem.)* Id est, non de  
ratione loci, quod sit in loco. Sive locus non est  
per se in loco, sed per accidens, locus enim ut locus  
continet, per accidens autem est quod fortè quoque  
ipse ab altero contineatur.

Locus



Locus est æqualis locato, *ibidem.*) Verum est de loco proprio, non autem de loco communi.

Litera & syllaba carent sensu. *Priscianus primi minoris.*) Intelligitur carent sensu, id est significatione ultimata, non tamen sic, quod non essent sensu exteriori perceptibiles.

Lex prohibet ne quis seipsum occidat. *5. Eth. Comment. cap. 15.*) Intellige non tantum humanam sed & naturalis & divina.

Loca naturalia, sunt tantum duo: superius scilicet, & inferius, *3. Phys. com. 55.*

Locus optimus in bello, est medius. Quia fortes tenent locum medium inter audaces, & timidos *Arist. 2. de arte Poet.*

Laudare præsentem adulatoris est, idem *lib. 2.*

Liber Physicorum, est radix & principium totius Philosophiæ naturalis. *Com. lib. 1. Phys. in prologo.*

Lux & dies, non habent esse, secundum quod sunt substantialia aliqua perfecta: sed secundum quod generantur, & corrumpuntur, *3. Phys. tex. 55.*

Locus medius, est locus principantis. *In lib. de senectute & Juventute.*

Lupus gulosus comedit sine masticatione, & tantum uno tempore quod sufficit sibi ad tres dies, *in lib. 5. de historiis Animalium.*)

Lingueni habet animal ut communicet, aliquid alteri, *3. de Anima.*

Laus & gratiarum actio debentur danti, & non accipienti, *4. Eth.*

Locus æterni, est æternus, *2. Cœli. Com. 2.*

Lingua, convenit in duo opera naturæ: scilicet gustum, & loquelam & quamcunque vociferationem *lib. 2. tex. 88.*

Lac, etiam potest fieri in maribus, *Arist. de animal. lib. 1.*

Lingua



Lingua, est ꝑpter sapes percipiendos, & literas exprimendas. lib. 11. de animal.

Licet omnes scientiæ nobiles sint, tamen, divina est nobilior, quia ejus subjectum est nobilius, 6. Metaph. com. 2.

Lucrum, est auxilium indigentia, 8. Eth. cap. 10.

Leges inhonestæ, licet maximè sint in usu, aboleri licet, 2. Polit.

Ludus, fit propter requiem, 8. Polit.

Lectio certa, prodest, varia verò, delectat, Sen. lib. Epi. 45.

Libentius audias, quàm loquaris. Idem de morib.



## M.

**M**ATERIA non est ens, 1. Phys.) intelligitur, quod materia prima non fit ens in actu formali, cum hoc tamen bene stat, quod fit ens in actu entiativo, ut loquuntur.

*Materia semper conatur ad malificium suæ formæ, 1. Phys.)* Hoc intelligendum est de materia ista rerum corruptibilium, & generabilium, propter potentiam contradictionis. Ex se enim nullam habet formam propriam, habet autem potentiam ad omnes.

*Motus & tempus sunt infinita, 6. Top.)* intelligitur capiendo Ly infinitum sine categorematicè, sic quod Ly motu & tempus stant confuse: Etiam alio modo conceditur, secundum successionem & potentiam



potentiam, sic, quod motus secundum successionem est infinitus.

*Motus nobis moventur omnia quae in nobis sunt,* 6. Phys. & 2. Topic.) Intelligitur per se vel per accidens.

*Materia nec est quid, nec quale, nec quantum.* 7. Metaph.) Intelligitur, materia prima secundum se, nec est quid, id est, hoc aliquid, scilicet aliqua substantia certae speciei: nec est quale, id est, habes aliquam qualitatem propriam: non est qualis, secundum aliquam qualitatem per se & proprie, nec est quantum, id est, non habens ex se quantitatem aliquam determinatam.

*Materia prima est medium inter esse, & non esse,* 1. Phys.) Sed hoc videtur falsum, quia si sic, sequeretur quod inter duo contradictoria esset dare medium. Respondetur quod sic intelligitur, quod materia prima est medium inter non esse simpliciter, & inter esse in actu formali: Modò non esse simpliciter, & esse in actu formali non sunt contradictoria; Sensus est. Materia est quidem substantia sed imperfecta, & ita quidem medium quoddam inter ens simpliciter, & non ens simpliciter, neque enim est omnibus modis hoc est perfecte, & ceu specificatum ens, neque est nullo modo ens sed est ens subsistens in rerum natura. In potentia tamen ad omnes actus formales, & ad omnes species naturales.

*Motus mixti est ab elemento simplici dominante in eo,* 1. Caeli, com. text. 7. & 2. meteor) Vera est propositio de mixto perfecto, cuius mixtio est completa, in qua videlicet miscibilia sunt reducta ad unam formam superadditam mixtioni. Fallit autem in mixto, cuius mixtio est per solam partium iuxta

H

positio-



positionem. Nam talis motus non est simplex, sed est inflexus seu compositus, ut est motus turbinū Averr. 4. Cœli. com. 7.

*Mathematicus solum de causa formali considerat. Averr. 1. Physic. in com. 1.*) Respondetur, Mathematicum considerare formā tantū, quia non considerat materiam sensibile, neque agens, neq; finem concernentem motum, sed solum considerat formam universalem declarantem quidditatem, partes enim definitionis dicuntur formæ, sicut patet in 2. Phys. tex. 28.

*Movens & motum debent esse simul, 7. Physic. tex. com. 10.*) Veritatem habet propositio, de movente in genere causæ efficientis, fallit autem de movente in genere causæ finalis, præcipuè in generalibus & corruptibilibus, in quibus aliud est movens ut finis, & aliud est movens ut efficiens, ut dicit Averr. in primo cap. lib. de substantia orbis, glossa est eiusdem Aristotelis in 7. Phys. tex. co. 9.

*Materia prima generatur per accidens. Commentator, 1. Phys.*) Intelligitur per accidens, id est, secundum quid, id est, ratione formæ, quæ ex ea per generationem educitur, cum qua novum constituit compositum.

*Materia prima in rei veritate generatur, 1. Phys.*) Respondetur, quod verum est subjectivè, sic quod incipit esse subjectum formæ, non autem terminativè generatur. Intelligitur eo sensu quo axioma proximè præcedens, nempe incipit subjectum esse formæ.

*Malum entis destruit seipsum, & videtur velle quod malitia nominaliter sit aliquid, quod est tamè contra eundem Philosophum, 2. de Anima.*) Illa dupliciter intelligitur. Uno modo conditionaliter, ut sic, si malum entis esset, tunc destrueret seipsum, id



Id est, malum entis significat destructionem suiip-  
sius. Alio modo intelligitur, quod malum destruit  
seipsum per accidens, malum enim cum sit priva-  
tio, non reperitur nisi in bono, dum ergo conatur  
ad destructionem boni, per accidens ad suiipsum  
destructionem conatur, quia privatio non potest  
existere sine subjecto.

*Magis est eligendum indigentibus ditari quam Phi-  
losophari, 3. Top.)* Non quod sit melius, sed quod sit  
magis necessarium indigentibus.

*Materia prima primo recipit formam univer-  
salem, deinde minus universalem, Commentator, 12. Metaph.)* Hoc est, prius naturam formam elemen-  
ti, deinde formam mixti, denique animam. Ordinem enim habent inter se istae formae, suntque aliae  
aliis magis vel minus communes.

*Movens debet esse simul cum motu, 7. Phys.)*  
Non semper inmediate suppositi, sed semper  
inmediate virtutis.

*Materia remanet in re facta, privatio vero non.  
1. Phys.)* Intelligitur quod materia remanet in re  
facta sub ratione & denominatione materiae: sed  
privatio non manet sub illa ratione vel denomina-  
tione, est enim formaliter negatio formae, materia-  
liter aptitudo ad formam. Quando ergo iam adest  
forma, sane sub ratione privationis non remanet  
amplius privatio.

*Motus in quantitate dicitur augmentatio vel di-  
minutio, 5. Phys.)* Intelligitur, quod motus ad quan-  
tatem proprie, Unde rarefactio & condensatio  
differunt non parum ab augmentatione & diminu-  
tione.

*Materia prima non est, 1. Phys.)* Intelligitur  
ut supra, materia prima non est in actu formali, quia  
H 2 materia



materia prima non est forma, cum hoc tamen stat, quod materia prima sit in actu essentiae & potentiae.

*Magis & minus non diversificant speciẽ, 2. Top.)* Intelligitur de specie essentiali sic, quod magis & minus non diversificant speciem essentialem, sed bene accidentalem.

*Mediũ componitur ex extremis, 5. Phis. tex. 6.)* Intelligitur de compositione similitudinaria, id est, quod medium in aliquo gerit similitudinem unius extremi, & in alio alterius extremi. Quamquam aliquando etiam realiter componitur ex extremis, ut fuscum ex albo & nigro, tepidum ex calido & frigido.

*Minimo non potest dari minus, 1. Phisic.)* Intelligitur in sensu diviso, non in sensu composito. Tali enim minimo possibile est dari minus.

*Materia prima non est in potentia ad formam, per Comment. & Philosophum, 5. Metaph.)* Intelligitur de potentia activa & instrumentali, & non de potentia passiva & essentiali.

*Magnitudo & multitudo non sunt accidentia quantitatis 5. Metaphisic.)* Intelligitur capiẽdo ea respectivẽ, tunc non sunt species quantitatis: sed capiẽdo ea absolutẽ, tunc sunt species quantitatis.

*Mundus est æternus, 8. Phis. & 12. Metaph.)* Intelligitur secundum Arist. quidem & alios, quibus creatio rerum ex nihilo fuit ignota: Non autem secundum veritatem quæ docet, mundum ex nihilo factum à Deo in tempore.

*Minus bonum coniunctum alteri, facit ipsum magis bonum, 1. Eth.)* Et sic sequeretur, quod corpus anima-



animatum esset nobilius ipsa anima. Intelligitur, dummodo unum bonum non includat aliud. Unde etiam nullum bonum Deo additum, facit ipsum magis bonum. Quia est infinitus, præhabens omne bonum.

*Manifestum est, quod Deus non habet genus nec qualitatem, nec quantitatem, per Avicennam.*) Propriè loquendo de his scilicet, ut habent rationem prædicamenti; Est enim Deus perfectissimus simul & simplicissimus. Impropriè autem vel similitudine quadam, etiam illa quandoque dicuntur de Deo.

*Materia prima appetit formam, sicut foemina virum, turpe bonum seu pulchrum, 1. Phys. tex. 81.*) Intelligitur de appetitu naturali, & nõ animali. Vel sic, Materia prima appetit formam, id est appetit perfici à forma. At ne quis existimaret materiam simpliciter esse turpem, addit, id esse per accidens, puta ratione privationis: Et ita turpe, quia turpe, non est appetens pulchri, seu boni, nec est per se in materia turpitudine deformitasq; sed per accidens, quatenus privationis est consors. Eam vero appetitionem esse in materia sic, dicit Themistius, providentiam fuisse, quæ & turpi desiderium honestatis, & egenti opulentia quantum sit satis, iniecerit.

*Motus natus est ignire ligna, lapides, & ferrum, 2. Cæli & mundi tex. com. 42. & in 1. meteor.)* Adverte, quod duæ conditiones requirantur circa hoc, ut motus calefaciat præcipuè. Prima, quod sit velox, ita quod corpus calefactibile distrahatur, plus quàm secundum propriam naturam est distrahibile, (nam rarefactio est dispositio ad calorem,) & sic, motus rarefaciendo corpus motum



calefacit. Secunda est, ut motus fit in magno mobili, & propinquo.

*Materia negatione cognoscitur, 10. Metaph. tex. com. 24.)* Nota quod materia duplex fit, prima & secunda materia. Prima est natura, sed materia secunda est naturarum sive habens naturam. Prima enim materia est substantia simplex, sed secunda est substantia composita ex materia & forma, sive fit & materia alterationis tantum, sive ut materia alterationis, & compositionis simul. Propositio igitur veritatem habet de prima materia principaliter. Nimirum enim cognoscitur negatione quatenus est ens, seu substantia, quæ nec est forma, nec habens formam, quantum est de se. Est autem in potentia ad omnem formam.

*Motus est tempus, 4. Phys.)* Respondetur quod Philosophus vult, quod illa non est prædicatio essentialis, sed accidentalis, quia motus ut numeratus & acceptus in mensuram, durationis rerum istarum, & operationum naturalium est tempus. Itaque accidit motui quod ipse fit tempus.

*Motus qui est ab extrinseco motore est violentus, 7. Phys. tex. com. 10.)* Respondetur, quod motus ab extrinseco motore non semper movente, vel motus ab extrinseco motore in mobili non habente inclinationem ad talem motum, dicitur esse violentus, & sic debet intelligi propositio hæc in via Peripateticorum.

*Medium promovet ipsum motum, 3. Cæli in oppositum est Philosophus, 4. Phys. Vbi dicit quod medium est resistentia successiva, & per consequens est impedimentum motus.)* Respondetur quod authoritas 3. Cæli intelligitur, scilicet, quando me-



do medium est subtile, & sic per accidens promovet motum, scilicet ratione veritatis & utilitatis: sed de per se medium semper resistit motui, eo quod in esse appetit esse indivisum.

*Mensura debet esse quid minimum, 12. Metaph.*) Respondetur quod intelligitur quo ad sufficientiam notificationis, id est, quod non debet deficere ad minimum in notificatione mensurati.

*Motus circularis cœli est primus motuum, 8. Phys.*) Intelligitur est primus motuum, id est, diuturnior motuum. Vel sic est primus motuum, id est, perfectior motuum.

*Metaphysica est de omnibus entibus mundi, 1. Phys.*) In genere sive secundum rationes communes, non autem secundum propriam cuiusque quidditatem; Homo enim secundum quidditatem suam non ad Metaphysicum, sed ad Physicum pertinet.

*Metaphysica est scientia nobilissima & difficillima, 1. Metaph.*) Intelligitur non exclusivè sic, quod solius Metaphysici sit considerare difficillima, sed etiam alterius artificis: sed vult quod principaliter solius Metaphysici sit considerare difficillima. Nobilissima autem utique est ratione subiecti sui principalis, quia non solum tractat de transcendentibus illis Ente, Uno, Bono, Vero, verum etiam de Deo & intelligentiis tanquam obiecto principali.

*Modica transgressio in principio à veritate descendibus in fine sit longe decies millies maior, 1. de Cœlo tex. 33.*) Exemplum est de iter agente, qui errat in principio itineris, & ideo quanto magis pergit, tanto



tanto magis in errore perseverat. Sic parvus error in principiis, fit maximus in fine, & ideo jubebat Plato, quod prolixus sermo haberetur de principiis, ut inquit Commentator 3. de anima comment. 4.

*Medium est nobilius extremis, 5. Phys.)* Nota quod duplex sit medium. Unum est secundum magnitudinem, aliud autem medium, quod eligitur à natura. Propositio vera est de medio eodem scdm naturam, non autem de medio secundum magnitudinem sive secundum situm. gloss. est Arist. & Averr. in 2. de celo, tex. com. 74. Alio modo respondetur quod alia est æquivocatio ex parte medii: Nã quædam dicuntur media per compositionem ex extremis, sicut coloris medii inter album & nigrum. Et quædam dicuntur media per comparisonem tantum, sicut aer & aqua, sunt media inter ignem & terram, distinctio hæc etiam est Averr. 4. Cœli com. 26. In neutris universaliter vera est propositio assumpta. Vide Zimar. fol. 72. Vera est autem propositio in moralibus, quia virtus quæ est in medio duorum extremorum quæ sunt vitia, est nobilior extremis.

Melius est mori quam facere contra bonum virtutis, 3. Ethic.

Medicinæ fiunt per contraria, 2. Ethic. ca. 5.

Malum facere est facilè, bonum autem difficile. ibidem.

Medium in omnibus rebus est laudabile, 2. Eth.

Minus malū est eligibilius magis malo, 5. Eth.

Maximum bonorum exterior est honor, 4. Eth.

Matres plus amant filios quàm patres, quia certiores sunt de ii, & plures labores habēt circa eos, 8. Ethic. cap. 7.

Majoribus datur honor, minoribus autem lucrum: quia



quia honor est tributio virtutis & beneficij, lucrū autem est auxilium indigentiae, 8. Eth.

Magistris, diis & parentibus non potest reddi æquivalens, 9. Eth.

Magis tenemur amicis largiri bona quàm extraneis ibidem.

Multo gravius aliquis fert, si honore privatur, quàm si bona sua auferantur, 2. Oecon.

Masculinum genus naturaliter dignius est foemino, 1. Polit.

Melius est judicare secundum leges & literas, quàm secundum propriam scientiam vel sententiã, 2. Polit.

Multi servi quandoq; deterius serviunt paucioribus ibidem.

Monstro similis est avaritia. Seneca in lib. de Moribus.

Mihi crede avarus non potest esse dives nec felix ibidem.

Multo magis prodest, si pauca præcepta sapientiae teneas, & illa prompta & in usu tibi sint, quàm si multa discas, & illa non habeas in animo. Seneca de beneficiis.

Mancipiorum raro est clementia. Boetius in de disciplina Schol.

Miserum est eum esse magistrum, qui nunquam novit se esse discipulum. ibidem.

Masculi si non coeunt, sunt longioris vitae foemellis: quia masculus est calidior foemina. in de causa longitudinis & brevitatis vitae.

Mulier, majoris est pietatis & compassionis, quàm vir; sed est majoris invidiae, contentionis & litis & malitiosior est viro, & de facili decipitur, 9. lib. de historiis animalium.

Menstruū in mulieribus cessat in quadragesimo anno, in aliquibus manet usque ad quinquagesimū annum,



annum, & ideo vetulae antiquae sunt barbatae, 9. lib. de historiis animalium.

Multo gravius est male dedisse beneficium, quam non dedisse. Seneca de beneficiis.

Magna est dignitas sapientiae, quae Socratem summo Deo coaequat. Apulejus de Deo Socratis.

Manifesta negare, irreverentia est, 2. lib. Rhetor.

Movens & motum, sunt simul, 7. Phys. tex 9) Saltem virtute.

Materia, est causa quare entia possunt esse & non esse. 2. de gener tex. 51.

Melius est esse, quam non esse. ibid. tex. 59.

Medicus est artifex mechanicus 1. de anima, Com. 17.

Melancholici, maxime vera somniant; de divinit.

Mors nihil aliud est, nisi frigiditas & siccitas de longit. & brevitate vitae.

Mors nihil aliud est, quam recessus animae à corpore. idem de morte.

Multo melius est, habere animam habentem scientias, quam habitum corporis videre bene indutum. Arist. in Epist. ad Alexand.

Magis dicimus illum scire rem, qui scit eam affirmativè, quam qui scit eandem negativè. 3. Metaph. tex. 3.

Mors metaphoricè dicitur finis. 5. Metaph. tex. 21.

Major virtus est, bona operari, quam turpia non operari 4. Eth. cap. 1.

Multitudo temporis, facit experientiam, 6. Eth. cap. 7.

Major est delectatio in quiete, quam in motu. 7. Eth. cap. 14.

Maliciosus, non est bonus neque actu, neque potentia 7. Eth. cap. 8.

Malus



Malus rex, Tyrannus dicitur. 8. Eth. cap. 7.

Matres plus diligunt Filios, quam Patres. 8.

Eth. cap. 7.

Melius est civitatem regi a Viro optimo, quam lege optima. 3. Polit.

Media possessio bonorum exteriorum est optima quia facilimum est rationi obedire 4. Polit.

Minores, ut fiant æquales, seditionem faciunt: æquales verò, ut fiant majores. 5. Polit.

Melodia, iratos, & aliis passionibus occupatos sæpe alleviat, ipsos lætos faciens. 8. Polit.

Musica est potens lætificare homines. ibid.

Multis servit, qui corpori servit. Seneca lib. 2.

Epi. 14.

Magnanimi est, contemnere magna. idem lib. 5.

Epi. 39.

Magnarum virium est, negligere lædentem. idem de moribus,

Morieris: ista est hominis natura, & non pœna.


Morieris: Hac conditione intravi, ut exirem.

Morieris: Vita nostra, peregrinatio est: Cum diu ambulaveris, domum redeundum est.

Morieris: stultum est timere: quod vitare non possis.

Male de te loquuntur homines: benè loqui nesciunt, faciunt enim, non quod mereor, sed quod solèt.

Male de te loquitur malus: moverer, si hoc iudicio faceret, & non morbo: non de me loquitur, sed de se. Omnia hæc Seneca de remediis fortuitorum.



N.



NIHIL agit ultra gradum suæ perfectionis, sive quod idem est, Nihil agit ultra suam speciem, 7. Metaph. tex. com. ult.)

Falsa



Falsa est propositio si absolute intelligatur: Limitatur autem hoc modo, quod vera est de agentibus in virtute propria. Unde virtus informativa existens in femine, licet non sit animata in actu, producit inde animatum, quia est instrumentum rememoratum ab animato, videlicet à Cœlo. Fallit etiam in accidentibus eadem ratione, quia idem est agens disponens materiam, & inducens formam, sed non virtute propria quia agit sicut instrumentum. Fallit in agente remoto; Fallit in agente per accidens & à casu; Vide pro his 7. Metaph. com. 31.

*Neque animal dicitur esse hominem. per Porph. )*  
Illa autoritas intelligitur, quod illa prædicatio, Animal est homo, non est directa, eo quod inferius prædicatur de suo superiori.

*Nomina & verba transposita, idem significant, 2. ~~est~~ *ἰσουλweis.* )* Illa autoritas habet duplicem sensum. Vnus est, quod solum propter transpositionem terminorum, scilicet nominum & verborum, nomina & verba non amittunt suas significationes essentielles, licet bene accidentales, ut est casus, numerus & figura. Sed alium sensum habet, quod propter transpositionem nominum & verborum non mutatur veritas propositionis, & si ille sensus debet esse verus, tunc oportet quod serventur proprietates logicales, scilicet ampliatio & restrictio.

*Non ens non intelligitur, 1. Phys. )* Intelligitur non ens, non intelligitur per propositiones categoricas affirmativas, sed cum hoc tamen bene stat, quod non ens intelligitur per propositiones categoricas negativè, hoc est directè.

*Non necesse est res referre ad disputationem, sive ad disputandum, sed utimur terminis pro rebus, 1. Elench. )*



*Elench.*) Intelligitur de necessitate conditionata, cum debeamus disputare de rebus per nomina, & non possumus res portare ad disputationem, tunc oportet nos uti nominibus pro rebus.

*Numerus est infinitus per appositionem unitatum, 3. Phys.*) Intelligitur quod numerus potest multiplicari in infinitum per appositionem unitatum.

*Natura & principium sunt subjectum scientiæ naturalis. Comment. 3. Phys.*) Sciendum quod quælibet scientia considerat aliquod subjectum, ejus principia, passiones & species. Natura igitur & principia ratione istius considerationis possunt etiam dici objectum physici. Cum hoc tamen fiat proprium & adæquatum subjectum physici, sit ipsum corpus mobile cujus ista sunt principia.

*Natura dirigitur ab agente infallibili, Commentator, 12. Metaph.*) Intelligitur de natura naturante scilicet Deo, vel etiam, de natura quidem naturata, sed ut plurimum duntaxat simpliciter intelligitur de natura naturante, scilicet Deo.

*Nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu, 1. Phys. & 2. de Anima.*) Intelligitur quod non oportet quod omnis cognitio intellectiva alicujus rei dependet à sensu ejusdem, quia de Deo & intelligentiis habemus noticiam intellectivam, & tamen non sunt sensibiles, sed sufficit quod omnis nostra cognitio intellectiva dependet à sensu illius vel alterius rei: Modo dicitur, quod notitia intellectiva de Deo causata, est ex notitia effectuum, per quam devenitur immediatè in cognitionem substantiarum insensibilium, & hoc à posteriori.

*Natura*



*Natura non deficit in necessariis, nec redundat in superfluis* 2. *de Anima, & 1. Cœli.*) Intelligitur quo ad imperfectionem finis ultimati, tunc natura non deficit nec redundat, licet quandoq; deficiat & redundet in determinatione certi finis determinati & particularis. Alio modo intelligitur, & natura nec deficit nec redundat quo ad totam speciem, licet benè quo ad partem speciei, id est, quo ad aliqua individua, vel dicatur, quod natura nō deficit nec superabundat in pluribus, sed benè aliquando in paucis. Item ponendo casum, quod tantum tres essent homines in mundo, & nati omnes cum sex digitis in unaquaq; manu, tunc esset monstrum, & redundaret tota natura in superfluis. Similiter si nati omnes tres una manu sive sine manib. tunc deficeret tota natura in necessariis, dicendum quod tota humanitas esset monstrum actualiter, non autem potentialiter. Consideranda est tunc non tantum species actualis sed & potentialis.

*Nullum complexum est definibile*, 2. *Topic.*) Respondetur definitione rei, at bene definitione nominis. Intelligitur etiam tanquam definibile propinquum, licet bene ut remotum. Et ratio est, quia omne definibile propinquum debet esse species: Sed nullum complexum est species, ergo nullum complexum est definibile. Si igitur resoluitur complexum; benè etiam secundum partes potest definiri.

*Non sunt eadem nota nobis & simpliciter*, 1. *Phys. tex. 3. 1. Post. cap. 2.*) Hoc accipiendum est ut plurimum. Nam in Mathematicis sunt eadem nobis, & simpliciter nota. Hoc item verum est de rebus pro ut extra mentem existunt, in quibus prius cogno scimus quæ posteriora sunt secundum naturam. Deinde verò quæ sunt priora: Alioquin magis universalia sunt nobis & simpliciter notiora.

Hoc



PHILOSOPHICA

Hoc etiam verum est de homine pro ut naturaliter cognoscit res, non autem pro ut scientiis præditus & in illis exercitatus intelligit. Vide Arist. 6. Top cap 1. 1.

*Nil scitur demonstrative & definitive, 2. Poster)*  
Verum est scilicet secundum se totum & adæquatum. Essentia enim rei per definitionem cognoscitur. Passio per demonstrationem, videlicet per rationem passionis Nam quatenus etiam suam habet essentiam, suo modo etiam habet definitionem.

*Non contingit sensum decipi circa proprium objectum, 2. de Anima tex. com. 63.)* Intelligitur dummodo sit bene dispositus, & objectum sit bene appropriatum, simpliciter vero sive distinctè loquendo respondet Averroes super cit. tex. sensum esse; quod sensus in majori parte circa sensibile proprium non erret. Et hoc etiam respectu sensibiliū communium V. g. motus magnitudinis figuræ, &c. in quibus tamen sensus, quoq; minus frequenter fallatur, magis tamen frequenter quàm in sensibiliū propriis.

*Nulla bona definitio debet dari per opposita, ut elicitur ex 7. Top.)* Ratio, quia membra bonæ definitionis debent competere definito: sed opposita non conveniunt uni & eidem: sciendum igitur quod illa autoritas intelligitur de definitione quidditativa, sic quod illa non debet dari per opposita copulativè: Cum hoc tamen stat, quod aliqua potest dari per opposita disjunctivè vel cum ordine quodam. Unde definitur natura principium motus & quietis, quod sit principium motus vel etiam quietis, sed hoc cum ordine quodam, propterea enim res naturalis movetur ad locum suum ut ibi quiescat. Terra V. g. ad centrum mundi, ut ibi tanquam in loco suo naturali conquiescat & con-



& conservetur Cætera de hoc axioma habes supra in litera D.

*Natura solum intendit speciem & non individuum. Per Avicennam*) Respondetur, quod natura non individualis, sed communis, sicut cœlum solum intendit speciem semper per continuare, & non individuum. Alio modo aliis dicendum videtur, quod hoc dicat Avicenna ponendo universalialia realia more Platónico. Et ideo de hoc ejus dicto non curandum.

*Nihil scitur nisi verum, 1. Poster.*) Quod non est non scitur, id est, ut dicit Philosophus, falsi non est scientia? ut non est scientia diametrum esse commensurabilem costæ, quia id falsum est. Dicitur, unde sequitur; quia scientia est verorum, propterea demonstrationem ex veris procedere oportet, licet ex falso inferatur verum, hoc est, ex præmissis falsis, quantum ad vim illativam, & propter Syllogismi dispositionem, sed non sequitur quantum ad vim probativam, & tanquam ex causa, quia quod non est, non potest esse causa, aut probare id quod est.

*Nullum indivisibile movetur, 6. Phys.*) Intellegitur per se & circumscriptivè de loco ad locum.

*Nulla forma est composita ex partibus diversarum rationum. per Authorem sex principiorum.*)

Respondetur, quod loquitur de forma simplici & non composita, nec est inconveniens, quod aliqua forma sit composita ex partibus diversarum rationum, sicut forma aggregata ex pluribus.

*Nescimus verum sine causa, 2. Metaph.*) Intellegitur à priori. Vel sic, Nescimus verum propter quid sine causa, cum hoc tamen stat, quod scimus verum quod est à posteriore sive demonstratione quia sine causa.

Non



Non solum gratia agenda iis, quorum opinionibus quis acquiescit, sed etiam illis qui dant *axm* superficie tenus dixerunt, 2. Metaph. tex. 2. Conserunt enim aliquid etiam isti: habitum namque nostrum exercuerunt. Sic in 12. Metaph. tex. 45. idem Philos. inquit Diligere quidem oportet utroque, adhaerere autem certioribus.) Sensus est quod minus quidem debemus his quam illis, attamen & his quatenus excitarunt & preparaverunt facultatem nostram intelligendi, ad investigandam & eruendam veritatem. Nam ut ibi Arist. dicit, si Phrynus non fuisset neq; Timotheum haberemus, etsi enim Phrynus artis musicae minus fuit peritus quam Timotheus, tamen praceptor ipsius fuit, ipsumque excitavit, ac preparavit, ut artem hanc ad maiorem perfectionem perduceret, & musicus excellentior evaderet. Vide plura apud Simplici-um super hunc textum.

Natura solum habet determinare de illo, quod est corpus vel passio corporis, 3. de Anima.) Et videtur, quod naturalis non habet determinare de intellectu humano. Respondetur quod naturalis solum habet determinare de corpore, vel de passione corporis, vel de eo quod dependet à corpore in operatione sua, & ens etiam habet determinari de intellectu.

Nigredo est privatio albedinis. in de sensu & sensato.) Respondetur, quod vult tantum quod nigredo est quantitas minus perfecta, quam albedo.

Necesse est in demonstratione magis credere principiis quam conclusioni, hoc est, credulitatem vel scientiam praemissarum esse maioris credibilitatis  
I  
quam



*quàm scientiæ suæ conclusionis, 1. Poster. cap. 2.)*  
 Intelligitur de necessitate conditionata, ut si debet  
 haberi credulitas vel scientia conclusionis propter  
 præmissas, tunc præmissæ debent esse magis scitæ,  
 & magis creditæ: his enim propter quæ credimus  
 aliis, magis credimus, & declaratur per illud prin-  
 cipium. Propter quod unumquodque tale, & i-  
 psam magis, & hoc intellige de dignitatibus & a-  
 liis principiis.

*Nil dat, quod non habet, 1. Elench.)* Scilicet  
 quod non habet vel formaliter vel virtualiter. O-  
 portet enim ut alterutro modo habeat si quidem  
 dat. Potest autem bene fieri ut aliquid agens det a-  
 liquid, quod tamen ipsum agens non habet forma-  
 liter, sicut sol facit ista inferiora calida forma-  
 liter, licet ipse sit tantum calidus virtualiter.

*Nullum violentum perpetuum, 2. Cæli & Mun-  
 di, tex. com. 8.)* Notandum duplex esse violentum.  
 Violentum simpliciter & violentum secundum quid.  
 Respondetur ergo, quod violentum secundum quid  
 esse perpetuum, non inconuenit, sed violentum sim-  
 pliciter, sicut de aere quod sit frigidus in media re-  
 gione aeris: Violentum est secundum quid, non  
 autem simpliciter cum non omnes eius partes sint  
 frigide, sed aliqua sit calida in sua naturali dispo-  
 sitione. Hæc Buccaferreus in primum meteor. Sic  
 igitur Philosophi nullum violentum per se & sim-  
 pliciter, & secundum totum negarunt esse perpe-  
 tuari, tamen secundum quid & per accidens illud  
 inconuenit: Nec videatur tibi novum hoc, quia  
 multæ sunt propositiones per se veræ in scientia  
 naturali, quæ tamen sunt falsæ per accidens, sicut  
 dicit, Commentator in 6. Phys. in Com. 15.

*Nota per se, probari non possunt, 2. Phys. text.  
 com. 6.)* Limitatur propositio isto modo. Per se  
 nota



nota prebari non possunt, verum est simpliciter & demonstrativè, & per se loquendo, tamen ad hominem possunt rationibus ducentibus ad inconveniens ostendi, sicut fecit Aristoteles cum negantibus prima principia in 4. Metaph.

*Non reminiscimur post mortem. Aristot. 1. & 3. de Anima.*) Scilicet qua parte reminiscentia est aliquid ipsius sensitivi, ut ibi loquitur Aristoteles, hoc est, quatenus fit per conversionem ad phantasmata. At bene etiam manet post mortem ratione specierum intelligibilium, vel ratione eius cognitionis, quæ jam semel recepta in intellectum, non amplius dependet à speculatione phantasmatum, sive tandem ista cognitio sit de singularibus, sive universalibus.

*Notitia primorum principiorum est nobis innata, 1. Poster.*) Videtur ergo quod intellectus in principio suæ creationis non habet se tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, quod est contra Aristotelem tertio de Anima. Respondetur, quod sic intelligitur, quod Anima naturaliter est inclinata ad essendiendum primis principiis. Sunt enim tam manifesta, tam certa ut sine ulla probatione ex sola terminorum intelligentia cognoscantur, tanquam vera & certa ut V. g. quodlibet est vel non est, vel totum maius sua parte, &c. eiusmodi sunt ut si modò intelligantur vocabula. V. g. quid significet vox ista latina, totum, quid vox ista, pars, & sic de cæteris, statim intelligatur propositionem eiusmodi verissimam esse.

*Nec materia est, nec forma est, sed totum compositum, 7. Metaph.*) Intelligitur quod materia non est nec forma suppositaliter, sed totum compositum.

*Nihil scitur sine causa, 10. Metaph.*) Intelligitur  
I 2 à priorè



à priori & cognitione perfecta, cognitione autem imperfecta & à posteriori aliquid bene scitur sine causa, ut puta D E U S, 8. Phys.

*Nihil videtur nisi color, 2. de Anima.*) Intelligitur sic, capiendo Ly Color concretivè pro colorato: ut fit sensus, Nihil videtur nisi coloratum, siye quatenus coloratum.

*Nec vox, nec litera docet, sed verus est Doctor, qui mentem illuminat, per Commentatorem, 1. Phys.*) Intelligitur quod ipsa vox non docet principaliter, sed solum instrumentaliter: sed ille verus Doctor est, scilicet principalis, qui mentem illuminat.

*Nihil est quod potest rationem entis subterfugere, per Avicennam.*) Intelligitur quod nihil est quin continetur sub Ly Ens, vel de quo non fit verum dicere, quod sit ens.

*Nihil habetur de tempore nisi nunc, 5. Phys.*) Non quod nunc sit pars temporis, sed quod sit aliquid continuativum partium temporis. Est enim tempus non ens permanens sed ens successivum, quod ut dicatur esse, non debet habere aliquam partem permanentem (sic enim non ens successivum sed ens permanens esset) sed satis est, quod suas partes in continua habeat successione: Ita ut priori posterior per aliquid continuetur. Sic dicimus, nunc esse diem Lunæ, aut mensem Novemb. & bene dicimus secundum omnes; cum tamen nunc istud nihil sit nisi instans quoddam, præteritam huius diei partem cum futura copulans atque coniungens.

*Nullum bonum honestum recipit additionem, per Senecam.* Intelligitur, quod nullum bonum honestum

honestum



nestum recipit additionem per admixtionem sui contrarii scilicet maliciæ: cum hoc tamen stat, quod capiat additionem gradus ad gradus eiusdem speciei.

*Naturale agens agit ut assimilet sibi passum.*)  
Intelligitur quod agens naturale agit propter formam generandi acquirendam, tanquam propter finem sub fine, in quantum ordinatur ad salvandum speciem in ordine ad perfectionem universi.

*Non potest esse Princeps sine amicis, 5. Ethic.*)  
Ratio quia de quanto fortuna est maior, de tanto est minus secura.

*Negato uno contrariorum de aliquo immediate oppositorum, concedendum est & reliquum subiecto movente, per Petrum Hispanum tract. 5.*)  
Notandum quod illa authoritas est vera salvis duabus conditionibus. Prima est, quando subiectum est susceptibile amborum contrariorum, tunc oportet quod si unum negatur de subiecto, quod reliquum designetur in esse subiecto: proinde non sequitur, lignum non est ægrum, ergo lignum est sanum. Secunda conditio, quod contraria sunt immediata, hinc ergo non sequitur. Lignum non est album, ergo est nigrum.

*Nulla potentia est ad præteritum, 1. Cæli.*)  
Intelligitur uno modo sic, Nulla potentia est quæ potentia est quæ potest producere præteritum: & sic est falsa, quia Deus potest destruere Socratem, & reproducere, ut ex fide credimus. Alio modo intelligitur quod nulla potentia est ad præteritum, quod fuit præteritum, ita ut per eam possit fieri quod non præterierit, & præterierit. Sic Deus non potest facere ut Socrates destructus non fuerit destructus.



structus. Implicat enim istud contradictionem, sed bene illum potest per suam omnipotentiam reparare & resuscitare destructum.

*Nos sumus Domini nostrarum operationum à principio usque ad finem, 3. Ethic.)* Intelligitur sic, Nos sumus Domini, id est, liberi producti nostrarum operationum. Ita ut etiam positis omnibus requisitis ad agendum possimus non agere. V. g. Etiam si quis maximè esuriat, tamen à cibo oblato potest abstinere: Huiusmodi vero libertas in brutis minimè reperitur.

*Non quodlibet agit in quolibet. Non quodlibet patitur a quolibet. Non quodlibet fit ex quolibet, 1. Phys. tex. 43. sed determinatū ex determinato.)* Triæ hæc principia contrariorum principiorum, ex quibus omnia fiant supponit & explicat Averroes apud Aristotelem ibidem.

*Nihil agit in seipsum, 1. de Generat.)* Primum & per se, sed bene secundario & per accidens.

*Neesse est omne divisum prædicare de membris dividendis, per Boet.)* Intelligitur de illis quæ habent se ut species vel differentia, & non de illis quæ habent se ut analogum in sua analogata.

*Natura determinatur ad unum 9. Metaph. tex. com. 3.)* Non intelligitur propositio, quod natura determinatur ad unum producibile, sed ad unum modū producendi, quia videlicet non est principium indeterminatum respectu oppositorum, sicut est voluntas, ubi advertit, quod ratio allegatur ibi quare potentia rationales sint ad opposita, quia eadem est scientia contrariorum ubi Averr. reddit causam, dicens, juxta textum, quare agens rationale agit



Ita agit duo contraria, & est, quia agit per scientiam, & quia scit duo contraria, quia scientia contrariorum est una subjective intellige, quia intellectus est subiectum omnium scientiarum.

*Nobilia sunt quae paucioribus indigent, 1. Cæli.*) Intelligitur cæteris paribus alioquin rex utiq; pluribus indiget quàm aliquis civis vel rusticus. Deinde dici etiam potest quod illud Aristoteles dicit de corporibus illis superioribus, ubi quod perfectius est paucioribus motibus indiget ad suam obtinendam perfectionem. V.g. Primum mobile perfectius est orbe lunari, adeoque uno tantum moveretur motu, cum orbis lunaris moveatur duobus vel tribus; secus est in his inferioribus. Homo enim utique inter omnia ista, substantia est perfectissima: multò autem pluribus motibus & operationibus ad suam consequendam perfectionem indiget, quàm quicquam aliorum.

*Nil agit infra suam speciem, 7. Metaph. & 2. de Anima.*) Intelligitur virtute propria, licet bene virtute aliena aliquis agit infra suam speciem, & hoc virtute agentis nobilioris.

*Nulla qualitas mixta est in simplici corpore, inde sensu & sensato.*) Intelligitur sic, quod nulla qualitas mixta, a qualitatibus contrariis est in corpore simplici existente in sua naturali dispositione.

*Nulla substantia fit a casu, 7. Metaph.*) Intelligitur de substantia perfecta primaria, cum hoc tamen stat, quod substantia imperfecta & secundaria debet fieri à casu.

*Non est mendacium Abstrahentium, 2. Phys. text. 18.*) Ac si dicat, non ob id, q̄ abstrahat intellectus



quæ abstracta non sunt re, mentitur & falsum dicit, Est enim illa abstractio simplex consideratio rei, quæ nihil habet falsitatis. Ut Mathematici abstrahentes à materia sensibili subjecta motui secundum intellectum non mentiuntur, quia non asserunt ea esse extra materiam sensibilem, hoc enim esset mendacium, sed considerant de eis absque consideratione materiæ sensibilis, quod absque mendacio fieri potest.

*Natura in suis operationibus non facit saltum.*

*9. de natura animalium.*) Quia non progreditur de extremo ad extremum sine medio.

Non est ratio ad principia, 6<sup>a</sup> Eth. cap. 9.

Nullus patitur injustum volens, 5. Eth.

Nullus est bonus vel malus per superabundantiam, Ibidem.

Non est omnino felix, qui specie turpissimus est, Ibid.

Nullus est beatus nec bonus, nisi volens, 3. Ethic.

Non parum differt, sic vel sic assuesci à juventute, imo multum, 3. Ethic.

Nullus vult vivere sine amicis, habens reliqua bona, 8. Ethic.

Neq; est Hesperus ita neq; Lucifer admirabilis, sicut Justitia quæ præclarissima virtutum persape videtur. Et proverbio dicere consuevimus, Justitia in sese virtutes continet omnes.

Non facile est ex antiqua consuetudine omnes transferre ad sermones, 10. Ethic.

Natura non facit unum instrumentum, nisi ad unum opus. 1. Polit.

Nihil differt ætate puer, & moribus puerilis, 1. Eth.

Nullum



Nullum animalium à natura habet sermonem ,  
nisi homo , 1. Polit.

Natura facit omnia animalia propter hominē,  
1. Polit.

Non idem est bonus vir , & bonus civis, 3. Po-  
lit.

Non contingit eum bene principare , qui nun-  
quam sub principe fuit, Ibidem.

Non solum oportet politiam à principio insti-  
tuere , sed etiam oportet ipsam corrigere , 4. Po-  
lit.

Nobilitas & virtus in paucis inveniuntur, quia  
nobiles & boni sunt pauci, 5. Polit.

Nullus manum mittit ad impossibilia , 5. Po-  
lit.

Non facile potest invadi , nec facilè contemni,  
qui est sobrius, sed qui est ebrius ; neque qui vigi-  
lat , sed qui dormit, quapropter principes ut non  
invadi possunt , ebrietatem & somnum multum de-  
bent evitare, 5. Polit.

Non facile est civitatem sine legibus & consue-  
tudinibus permanere , 6. Polit.

Natura causa est ordinis omnibus. 8. Phys.tex.  
15.

Nulla res adeo vilis & parva est in natura , qua  
non liceat spectare aliquod divinum & admira-  
tione dignum , in primo de partib. Animalium  
cap. 5.

Necesse est futurum principem subditum fuisse,  
7. Polit.

Non possibile est politiam esse optimam sine  
moderata abundantia. Ibidem.

Non solum erudiendi sunt pueri in arte utili  
& necessaria, sed etiam in artibus liberalibus, 8.  
Polit.



Noli pœnitere de re præterita, quia illud est proprium debiliū. Seneca in de regimine principum.

Nimia familiaritas contemptum parit. Ibidem in libro secundo.

Nobilissimum animalium est homo. Ibidem.

Non qui parum habet pauper est, sed qui plus cupit, Seneca ad Lucilium,

Nemo est dignus Deo, nisi qui Dei opus implet Seneca ad Lucilium.

Non jubeo te semper insistere, libris aut pugillaminibus: dandum est intervallum animo, ita ut non resolvatur, sed ut magis acuatur. Ibidem.

Nemo dives nascitur. Ibidem.

Nemo gloriari debet, nisi de suo. Ibidem.

Natura paucis minimisque contenta est, Boet. lib. 2. de Consol. pro. 5.

Non refert quam multos libros habeas & legas, sed quam bonos habeas, Seneca ad Lucilium lib. 6. Epi. 45.

Nulla victoria major est quam vicia vincere. Ibidem.

Non ex deformitate corporis denudatur animus sed ex pulchritudine animæ ornatur corpus. Ibidem.

Non possumus: facit hoc quod nemo vitam suam respicit. Ibidem Epist. 89.

Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis dicat, sed quid dicatur, attendito. idem de form. vitæ cap. de prudent.

Non adscribas tibi, quod non es: nec major, quam es, videri velis, esto, idem de formul. vitæ cap. de continent.

Nullum beneficium dandum est negligenti. idem de beneficiis. lib. 1.

Non refert quid aut quantum detur, sed quo animo



animo detur: quia beneficium non in eo quod datur consistit, sed in ipso dantis animo. Ibidem

Nulli virtus præclusa est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat: egenos, servos, Reges & exules: non eligit domum, nec sensum, sed nudo homine contenta est. idem de beneficiis lib. 3.

Non faciunt equum meliorem, aurei freni. idem. lib. 5. Epi. 41.

Non in beneficiis nec ingeniorum, nec in agrorum, nec in prædiorum possessionibus, nec in pulchritudine, nec in fama, nec in gloria beatitudo consistit. Boet. de Consol.

Nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus, 3. de Consolatione.

Non est difficile ostendere, quomodo ex uno absurdo alterum sequatur. Simplicius 1. Phys. Utrique contentiosè syllogizant, & Melissus & Parmenides, nam & falsa accipiunt, & non syllogizantes sunt. 1. Phys. tex. 22. & 25.

Nemo, quam benè vivat, sed quod diu, curat, Seneca lib. 3. epi. 22.

Non jubeo te semper libris insistere, aut pugillaribus. Dandum est enim intervallum aliquod animo, non ut resolvatur, sed ut remittatur. Idem lib. 2. Epist. 15.

Nobilitas, est laus quædam, proveniens ex meritis parentum. Boet. 2. de Consol.

Nolunt entia male gubernari. Non est bonum pluralitas principatum: Vnus ergo Princeps. 12. Metaph. tex. 55.

Non est fas homini, cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel sermone explicare. Boet. 3. de Consol.

Nulla est rationalis creatura, quin ei sit libertas arbitrij, 5. Ibidem.

Non



Non est dignus dulcoris acumine, qui amaritudinis nescit inviscari gravamine. Idem de disciplina Scholarium.

Nulla est res magis nociva discipulo, quam vita contumeliosa magistri, ibidem cap. 6.

Nihil est ortum sub sole, cujus causa legitima non præcesserit. Ibidem.

Nihil est generosius & similis Deo, quam vir perfectè bonus: qui in tantum ceteros homines excellit, in quantum ipse a Diis immortalibus excellitur. Apulejus in lib. de Deo Socratis.

Nunquam oportet Dominum esse sine custodia sic nec civitatem, in Oeconomicis.

Nemo habet parem curam suorum & alienorū, ibidem.

Non est dignus scientia, qui scientiæ insurgit præceptoris. Boet. in lib. de disciplina Scholarium.

Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato; & ipsa requies sit plena sapientiæ studiis & bonis cogitationibus. ibidem.

Non est facile largum, fieri divitem. Com. 4. Eth. cap. 2.

Natura modicis minimisque contenta est, cujus satietatem si volueris urgere superfluis, aut injucundum erit quod infuderis aut noxium. Boeth. 2. de Consol. Phil.

Non tantum nitor vestimentorum, nec formæ excellentia, nec auri multitudo valet ad mulieris laudem & virtutem, quantum valet modestia in quolibet opere, ac studium honeste decoreque vivendi vitæ. in Oecon. Aristotelis.

Non debet homo sanæ mentis, ubicunque conversari. Ibidem.

Nihil fit quod te à Philosophia removeat & revocet,



Vocet, nec paupertas, nec indigentia alicujus rei.  
Seneca ad Lucilium. lib. 2. Epi. 17.

Non irasci, in quibus oportet, & irasci, in quibus non oportet: insipientis est, 4. Eth. cap. 9.

Non omnia eveniunt ex necessitate, sed multa sunt à casu, & ad utrumlibet. ~~de~~ *de* *icm* cap. 6.

Non omne quod videtur probabile, est probabile, 1. Top. cap. 1.

Nullus honorat divitias propter se, sed propter aliud, amicitiam verò sic; Top. cap. 2.

Non solum qui clam tollit, sed etiam qui palam tollere vult, latro est 6. Top. cap. 20.

Nomina sunt finita res verò infinita: ideo unum nomen, plura significat 1. Elench. cap. 1.

Negatio, non constituit speciem. Boeth. lib. divis.

Nihil appetit id, quod in se habet, nec quod sibi contrarium est. 1. Phys. tex. 81.

Nulla mutatio est infinita, secundum terminos: sed bene secundum tempus, ut motus cœli. 6. Phys. tex. 93.

Natura semper desiderat id, quod melius est. 2. de gener. tex. 59.

Nix & pluvia, habent eundem locum, & eandem materiam. 1. meteor. cap. 4.

Non mortuus, non est homo, nisi æquivocè. 4 meteor. tex. 54.

Naturalis, in diffiniendo accipit materiam: logicus verò formam. 1. de anima tex. 16.

Noctes, magis in silentio sunt, quam dies. cap. de divinat.

Nihil est melius intellectu, & scientia, præter Deum li. de bona fortuna.

Non solus homo somniat, sed etiam bruta. lib. 4. de animalib.

Nulluna



Nullum animal in partu patitur tam vehementissimos dolores, sicut mulier lib. 7. de animal.

Non omne quod apparet, verum est 4. Metaph. tex. 24.

Nihil agit actionem, ad quam non habet potentiam 6. Metaph. Com. 7.

Non ut sciamus, quid sit virtus, perscrutamur sed ut boni efficiamur. lib. 2. Eth. cap. 2.

Non oportet tantum verum dicere, sed etiam causam falsi assignare. 7. Eth. cap. 14.

Natura, modicum desiderat: opinio vero, immensum. Seneca Epi. 16. lib. 2.

Necesse est permultis indigere, qui permulta possident, Boeth. lib. 2. Consol.

Nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum, idem lib. 4. Pro. 1.



O.



*OMNE unum est indivisibile, 10. Metaph. cap.)* Intelligitur cum reduplicacione, ut sic: Omne unum quatenus unum est, indivisibile. Vnum enim definitur id, quod est indivisum in se & divisum à quocunq; alio.

*Omne quod est, ideo est, quia unum numero est per Boeth.)* Intelligitur uno modo sic. Omne quod est, ideo est, quia habet se extra animam; modò universaliter non habet se extra animam: Ergo nõ oportet quod sit unum numero, vel singula: quia universale est terminus intentionis. Alio modo dicitur, quod universale quo ad suum esse, est bene singulare,



singulare, sed quo ad significationem seu representationem, est quiddam commune.

*Omnis causa est prior suo effectu.* per Comment in de causis.) Respondetur quod prioritas est duplex scilicet temporis & naturæ: Modò authoritas debet intelligi de prioritate naturæ, & non temporis, & Ly Natura in tantum debet valere sicut naturaliter.

*Omnis conceptus naturalis sumendus est à forma*, 7. Metaph. ) Verum est de substantiis habentibus formam, si fuerint simplices & immateriales sicut Deus & Angeli, tunc eorum conceptus essentialis sumendus est à propria perfectione, & à propria essentia. Vnde nil mirum si proprius conceptus materiæ primæ, non sumitur à forma ipsius propria, quia nullam habet, sed vel tantum ex actu ipsius entitativo, vel per analogiam ad formas & perfectiones, ad quas habet potentiam essentialem.

*Omne quod inest meliori & nobiliori, est magis eligendum*, 2. Topic.) Et sic sequeretur, Vltra modum bibere, & crapulose vivere, & vitia essent magis eligenda, eo quod insunt melioribus & nobilioribus, scilicet hominibus. Bruta enim in multis temporantius & convenientius naturæ vivunt quàm homines, de qua re pulcherrima, videre est in libello Plutarchi, Vtrum etiam bruta ratione sint prædita. Dicitur quod sic debet intelligi, non de quocunque inexistente ipsi bono meliori & nobiliori (sic enim procederet objectio de brutis) sed de bono, & nec tunc simpliciter verum est (quia aliquando id quod inest minus bono, simpliciter melius est eo quod inest magis bono) sed verum est secundum quid, sive ut sic: quia ut sic habet esse quoddam dignius sive rationem nobiliorem ratione subjecti, qua  
superat



cuperat alterum bonum etiam alioquin æquale vel  
tiam majus existens in minus bono.

*Omne intelligere est pati, 3. de Anima.)* Verum est de intelligere recepto, falsum de intelligere irrecepto, pura de ipso intelligere Dei. Est enim Deus actus purus per nudam intelligens essentiã, non per potentiam aliquam, vel intellectiõnem ullam superadditam suæ essentiæ, ideoq; nullo modo potest dici intelligere ejus esse quoddam pati.

*Omne alterabile est corruptibile, 1. de generatione.)* Respondetur quod loquitur ibi de alteratione corruptiva, non autem salvativa seu perfectiva. V. g. quidquid calefit vel frigitur est corruptibile, quod autem alteratur per susceptionem luminis, ut luna, per susceptionem scientiæ, ut anima rationalis, &c. non est corruptibile.

*Omnis qualitas denominat suum subjectum, in predicamento.)* Hoc est pro natura & ratione cujusq; accidentis. Aliter enim utique denominant accidens relativum, aliter absolutum: Illud cum ordinæ ad alterum, hoc sine tali ordine. Deinde piscis ille qui torpedo vocatur, per rede transmittens torporem in manus Piscatorum, qualitatem quidem eandem imprimit in rete, & in manus Piscatorum: Attamen nec eodem modo imprimit & afficit, nec eodem denominat. Dicitur enim manus Piscatoris torpere, non tamen ipsum rete. Ista enim qualitas non est nata unumquodq; suum subjectum afficere eodem modo sicuti albedo.

*Oportet principia semper manere. 1. Phys. 1. ex. com. 50.)* intelligitur secundum Averr. videlicet, quod principia non debent esse transmutabilia & generabilia ex aliis. Et hæc est intentio Philosophi ibidem. Omne



*Omne quod fit, fit à sibi simili, 7. Metaphys.*)  
 Intelligitur sic, Omne quod fit generatione univoca & particulari, simpliciter fit à sibi simili. Per hoc quod dicitur, generatione univoca, excluduntur vermes & alia similia animalia, quæ sunt & generantur, ex putrefactione virtute solis. Per hoc quod dicitur particulari, excluditur Deus, qui est causa universalis omnium rerum.

*Omnium rerum quantitas determinata est, secundum magnitudinem & parvitatem, 1. Physic. tex. 36. & 38.*) Propositio præcipue locum habet in viventibus & partibus eorum. In iis enim corpus terminatur maximo & minimo intrinsecè, quoniam est instrumentum animæ, ut ex eius definitione patet. Omnis autem instrumenti quantitas, utrinque terminata est, ut traditur 1. & 7. Polit. Præterea cum accretio & decretio viventis fiat ab anima & calore naturali, in quibus est virtus finita, ipsam quoque finitam ac determinatam esse, necesse est. Adde quod natura nihil facit fortuito & abhorreat indeterminatum & indefinitum. ut est in 2. & 8. Phys. Quare oportet accretionem & decretionem viventis non esse indeterminatam, cuius terminationis causa est anima, cuius instrumentum est corpus. Intelligenda est etiam propositio de rebus ut per se existunt, non de his quæ inexistunt in alio, ut sunt partes continui in toto. Plura vide apud Tolet, lib. 3. Phys. quæst. 9.

*Omne principium debet esse propositio necessaria, 1. Physic.*) Intelligitur de principio complexo, & non simpliciter primo, alicuius scientiæ, non autem de principio incompleto & simpliciter primo. Tale enim principium non est propositio, imo nec semper necessarium ens, sed quoddam cōtingens & corruptibile.

K

Omnis



*Omnia substantia dignior est accidente, (Metaph.)* Verum est de dignitate essentiali, non autem accidentali, quia accidentale accidens est dignius substantia, ut patet in scientiis & virtutibus, quæ accidentia sunt digniora lignis & lapidibus, quæ tamen sunt substantiæ.

*Omnia differentia debet sumi à forma, per Porp.)* Intelligitur, Omnia differentia debet sumi à forma comparando compositum ad compositum; sed comparando simplex ad compositum, tunc debet sumi à materia.

*Omnia futura de necessitate evenient, 1. æ. i. equalitas.)* Verum est in sensu composito, non autem in sensu diviso. Vel verum est ex hypothese, non autem simpliciter. Si enim futura sunt, utique evenient necessario; Implicat enim contradictionem, eventura esse & non eventura. Non tamen quæcunque eventura sunt, eventura sunt necessario simpliciter, sive necessitate quadam absoluta.

*Omne quod est, quādo est, necesse est esse, & omne quod non est, quando non est, necesse est non esse, 1. æ. i. equalitas.)* Limitatur eodem modo sicut præcedens.

*Omnia differentia debet connotare alteram partem rei, per Porph.)* Intelligitur de rebus essentialiter compositis, non autem simplicibus.

*Oppositorum eadem est disciplina, 4. Metaph.)* Respondetur Philosophum velle, quod propositiones oppositæ contrariæ & contradictoriæ pertineant ad eandem scientiam materialiter. Et ita qui considerat de sano, considerat etiam de ægro & contra. Rursus qui considerat illam propositionem Sanitas est quatuor primarum qualitatum proportio;



tio, animali conveniens, etiam considerat ilam. Aegritudo est primarum qualitatum disproportion, animali disconveniens.

*Omne prius potest esse sine posteriori, per Autorem in de causis.* ) Intelligitur dummodo unum non dependet ab alio, non habet veritatem.

*Objecta movent intellectum, 3. de anima.* ) Respondetur quod objecta non per se immediate, sed per species intelligibiles movent intellectum.

*Omne ens habet aliquam propriam operationem, 4. Meteor, & 1. de Anima.* ) Intelligitur de entibus in actu formali existentibus, propter materiam primam, quae passiva potius est quam activa, nec enim habet aliquem proprium actum formalem, sed tantum entitativum.

*Omne agens est prestantius suo passo, 2. de Anima.* ) Intelligitur de agente principali, non autem de eo quod solet habere rationem instrumenti. Vel intelligitur de agente ut sic, non autem simpliciter. Juxta ea quae dicta sunt supra de hoc eodem axiomatico in litera A.

*Omnis propositio in qua unum generalissimum negatur de alio, est immediata, 2. Poster.* ) Intelligitur si unum generalissimum negatur de alio cum reduplicatione, ut sic nulla substantia in quantum talis est, quantitas in quantum talis.

*Optimum est optimum facere, 2. Coeli.* ) Intelligitur quo ad essentialia, & sic omnis res producta a Deo, producitur optime quo ad essentialia & substantialia. Homo enim postea adiutus donis naturalibus, multa de novo acquirit naturalia. V. g. scientias practicas & speculativas, &c. Adiutus vero donis



supernalibus gratia videlicet excitante & coope-  
rante, multa etiam acquirit supernaturalia, quæ  
ex sui creatione non habuit.

*Omniū transmutationem habentium ad se  
invicem, eadem est materia, 1. de generatione.)*  
Intelligitur de identitate specivoca, scilicet quod  
in specie est eadem materia omnium: & sic materia  
est in omnib. formis subjectivè.

*Omnis effectus gerit similitudinem sui efficientis,  
Autor de causis.)* Verum est de causa particulari,  
& non universali, propter Deum. Unde axioma pau-  
lo ante explicatum. Omne quod fit, fit à sibi simi-  
li.

*Omne in quo est potentia, aut est corpus, aut est  
potentia in corpore, 10. Metaph. com. 41. Averr.)*  
Vera est propositio de potentia physica passiva,  
quæ attestatur imperfectioni, simpliciter loquen-  
do. Nam ista est potentia materiæ. Fallit autem  
de potentia logica, quæ & ens rationis, nam in o-  
mnibus intelligentiis citra primam est huiusmodi  
potentia logica, ut vult Averr. in 3. de anima; &  
tamen illæ nec corpora sunt, nec virtutes existen-  
tes in corpore.

*Omne totum supra tria ponimus 1. Cæli.)*  
Arist. loquitur ibi de corpore, hoc est, omne to-  
tum quantitativum, sive corpus constat tribus di-  
mensionibus, longitudine, latitudine, sive pro fun-  
ditate.

*Omne agens naturaliter in agendo repatitur, &  
omne patiens in patiēdo naturaliter reagit, 1.  
de Generat.)* Intelligitur sic, Omne agens commu-  
nicans cum passo in materia, & agens actione rea-  
li & existens intra Sphæram activitatis ipsius pas-  
si, &







authoritas habet veritatem in de causis per se, & non de causis secundum accidens.

*Obiectum voluntatis non est nisi bonum, 3. Eth.)* Respondetur verum est de bono apparenti non autem semper de bono existenti. Non enim voluntas vult nisi quod ei bonum apparet, hoc autem non semper verè bonum est, sed sæpè duntaxat apparenter.

*Oppositio contradictoria maxima est oppositio, 1. Elench.)* Respondetur, verum est de illis quæ sunt contradictoriè opposita, quantum ad hoc quod sunt sibi invicem in compossibilia, scilicet, quantum ad veritatem & falsitatem.

*Omnis transmutatio est velox vel tarda 6. Phy.)* Intelligitur de transmutatione quæ distinguitur à suis terminis. Vel dicitur quod intelligitur de transmutatione successiva & temporali; Instantaneæ enim transmutationi hoc dictum non convenit.

*Omnis scientia est de numero perpetuorum universaliter se habentium, 1. Poster.)* Intelligitur sic, Omnis scientia de scibili propinquo debet esse perpetuarum propositionum, id est, perpetuæ veritatis.

*Opposita sunt in eodem genere, per Porph.)* In ordine ad existentiam, est quidem verum hoc potentialiter, non autem actualiter. Non semper enim utrumque contrarium actu est.

*Omne habens contrarium, suscipit magis & minus, ex Prædicamentis.)* Ita videlicet, ut V. g. unum album non solum sit magis album altero albo, sed etiam unum & idem modò album, modò magis album.

Omnia



*Omnia scientia capit nobilitatem à suo subiecto*  
*in Proœmio de Anima.*) Respondetur, verum est,  
 capit nobilitatem à signato subiecto, non autem à  
 subiecto signi, hoc est, à subiecto attributio-  
 nis, non autem inhæſionis. Sic enim æqualis essent  
 nobilitatis Mathemat. Phys. Metaph. quia in ea-  
 dem insunt anima hominis. Intelligitur ergo de  
 subiecto quod assignatur ab intellectu, non autem  
 de intellectu, qui assignat & recipit scientiam illi-  
 us subiecti signati.

*Omne intelligibile præcedit actum intelligendi*  
*sive movet ipsum.*) Intelligitur de intelligibili prin-  
 cipali, ut sunt res extra animam, quæ ipsum intel-  
 ligibile ordine naturæ licet non temporis præce-  
 dunt, sed intelligibile minus principale, scilicet  
 operatio non præcedit intellectum, quin potius  
 procedit ab intellectu.

*Omne quod corrumpitur, à suo contrario cor-  
 rumpitur, & Eth.*) Intelligitur, omne quod corrup-  
 pitur directè, formaliter & per se, à suo contra-  
 rio corrumpitur. Dicitur notanter per se, & dire-  
 ctè propter substantiam, quæ licet corrumpitur, nõ  
 tamen per se sed per accidens: quia qualitas primò  
 per se corrumpitur, ad cuius corruptionem conse-  
 quenter sequitur corruptio substantiæ, & ita hæc  
 per accidens corrumpitur.

*Omnia propositio per se est necessaria vel impos-  
 sibilis, per Boet. in lib. Poster.*) Intelligitur om-  
 nis propositio per se vera, est necessaria, & omnis  
 propositio per se falsa, est impossibilis.

*Opposita contraria habent fieri circa idē, 7. Met.*)  
 Et sic videtur, quod bonum & malum habent fieri cir-  
 ca ipsum diabolum. Intelligitur, dummodo illud  
 subiectum non sit determinatum ad unum solum,



five ad alterum solum : quia tunc opposita contraria habent non fieri circa idem: Modo diabolus determinat se solum ad malum, & non ad bonum.

*Omne certius, eligibilius est incerto, 3. Top.)*  
Intelligitur cæteris paribus.

*Omne perfectum est in tribus, per Comment, 1. Cæli.)* Intelligitur quod verus numerus incipit esse ternarius, & de duobus non verè dicitur, quod sit numerus, sed tantùm quod sint duo.

*Omnis perfectio est in Deo, per Comment, 5. Metaph.)* Respondetur hoc intelligendum quod perfectio Dei excellit omnem perfectionem creaturarum.

*Omnis motus naturalis est in fine velocior, quàm in principio, 1. Cæli.)* Intelligitur, omnis motus naturalis in eodem medio æqualiter disposito, cæteris paribus uno impetu ab eodem productus, est velocior in fine quàm in principio. Dicitur in eodem medio, quia stat quod aliquod mixtum in igne velocius moveatur quàm in aere. Dicitur, æqualiter disposito, quia si medium esset in principio subtilius, & in fine densius, non oporteret motum esse in fine velociorem.

*Omnis quæstio quærit inter opposita, 1. Metaph.)*  
Illa autoritas simpliciter seu universaliter non est vera, quia alia quæstio quærit solum unum oppositum : sed est vera ad illum sensum, quod quæstio problematica quærit inter duo opposita, ut est ista quæstio, An mundus sit æternus, an non.

*Omne quod in Deo est, est Deus, 6. Meta.)*  
Intelligitur, Omnia quæ sunt in Deo formaliter & essentialiter, sunt ipse Deus, non autem illa quæ sunt in Deo effectivè, ordinativè & conservative.

Omnis



*Omnis nostra cognitio procedit ex sensatis per  
Linconiensem supra. 1. Post.)* intelligitur me-  
diatè vel immediatè, Similiter etiam intelligitur  
illud. Nihil est in intellectu, quin prius fuit in  
sensu.

*Omne medium est medium contrariorum, 6.  
Phys.)* intelligitur de qualitatibus mediis  
& secundis. Vel sic, Omne medium compositivè  
vel successive est contrariorum; Vel sic, Omne me-  
dium diversorum vel communiter dictorum, est me-  
dium contrariorum.

*Omnis qui dicit quodlibet, quodammodo dicit  
multa, 2. Top.)* Ex quo elicitur secunda re-  
gula, Qui dicit unum antecedens, multas dicit  
consequentias, supple formaliter vel virtualiter:  
quia qui dicit, Homo virtualiter est, dicit ani-  
mal est, corpus est, substantia est, & sic de sin-  
gulis.

*Omne quod est sensibile, est sensibile per mate-  
riam. & omne intelligibile, est intelligibile per for-  
mam. 1. Cæli tex. com. 92.)* Responderetur jux-  
ta doctrinam Averr. 12. Metaph. com. 14. quod  
materia quæ est per se sensibilis est materia propin-  
qua, non remota, sed forma est per se sensibilis.  
Forma enim non per se sentitur, sed meritò suæ  
operationis, ideo appropriatè forma dicitur intel-  
ligibilis & materia sensibilis, & hoc intelligitur  
de materia propinqua non remota.

*Omne quod est ex prioribus hoc est magis eli-  
gendum, 3. Top.)* Si sic, tunc aqua esset no-  
bilior vino, & materia nobilior forma, & vestis  
antiqua esset nobilior nova. Intelligitur ergo sic,  
Omne quod est bonum ex prioribus secundum per-  
fectionem,



fectionem, hoc est melius. Sed diceret, Priora sunt nobiliora & meliora. Dicitur quod omne prius perfectione essentiali est melius suo posteriori, secundum se & proprie, & dicitur secundum se, quia secundum usum nostrum non oportet quod florenus est prior & perfectior scientia, quia est substantia, scientia autem accidens. Dicitur perfectione essentiali propter materiam, quæ non est perfectior forma essentialiter. Dicitur etiam essentialiter propter prioritatem naturæ, ut aqua temporis & velis antiqua.

*Omnis voluptas est mala, 4. Eth.)* Sciendum voluptas est duplex, quia quædam est voluptas corporis, & quædam animæ. Voluptas corporis est duplex, quia quædam est contra dictamen rectæ rationis, & illa semper est mala. Alia est subiecta rationi & illa semper est bona. Voluptas animæ est duplex quædam est appetitus rectè regulatus ab ipsa ratione, & ille appetitus semper bonus est. Alia est secundum appetitum privatum, & illa semper est mala, Modò dicitur quod loquitur de voluptate, quæ est contra dictamen rectæ rationis.

*Omne quod est propinquius bono, hoc est magis eligendum & melius, 3. Top.)* Et si sic, sequeretur quod camisia esset melior tunica. Ad illam autoritatem dicatur quod duplex est propinquitas, quædam est localis, alia verò perfectionis. Modò authoritas intelligitur de propinquitate perfectionis, quia alias instantia probaret verum.

*Omnes animi passiones perturbant rationis iudicium commune dictum; confirmatur Salustij sententia, qui ait: Omnes qui de rebus dubiis consultant, ab ira, odio, &c. vacuos esse debere.)* Respondetur, passiones, quæ antevertunt usum rationis, perturbare



perturbare nostrum intellectum; cæterum illæ quæ rationis iudicium sequuntur, & moderatæ sunt, ac rationi subiectæ, non perturbant rationis iudicium, imò sunt ei obediens.

*Omne difficilius est magis eligendum, & nobilius minus difficili, 3. Top.*) Et si sic, sequitur quòd divitiæ essent nobiliores & meliores scientiis & virtutibus. Similiter ars fabrilis esset eligibilior scientia grammaticali, & nigromantia esset eligibilior scientia logicali. Sciendum quod aliquid dicitur difficilius tribus modis. Vno modo in conservando, & sic divitiæ sunt difficiliore scientiis. Alio modo in exercendo, & sic ars fabrilis est difficilior grammatica, quia difficilius est fabricare, quàm orationem congruam facere. Tertio modo quo ad oppositionem, & de ista difficultate debet intelligi autoritas. Et etiam intelligitur de iis quæ sunt ejusdem speciei, dummodo minus difficili non conveniat præeminentia bonitatis.

*Omne generabile est corruptibile, 1. Cæli.)* Respondetur verum est, omne quod generatur tanquam proprius & adæquatus terminus generationis, qui est ipsum compositum: Modò tamen per inductionem animæ rationalis generetur homo tanquam hujusmodi terminus generationis, non tamen generatur ipsa anima. Et ideo etiam compositum istud, homo, generabile est & corruptibile, non autem anima. Anima enim non est quæ generatur, sed potius quæ aliud generatur scilicet homo.

*Omniun rerum species stabilivit creator creaturarum, Author 6. principiorum.)* Id est, non creat Deus nunc novas species, licet in una & eadem specie hominis subinde creet novas animas.

*Omni magno dato, contingit dare magis, per regulam.*



gulam. Metaph.) Intelligitur sic, contingit dare majus, ist est imaginari majus.

*Omnis motus est de extremo in extremum per medium, 4. Phys.)* Authoritas intelligitur de motu qui fit naturaliter. Nam motus qui fit in ra-  
cuo, non est naturalis, quia natura abhorret va-  
cuum. Similiter dicitur quod motus qui fit per va-  
cuum non fit per verum medium, sed solum ima-  
ginariè, ergo authoritas habet veritatem de motu,  
qui fit cum resistantia mediij.

*Omnium rerum naturalium existentium, idem est tempus, 4. Phys.)* Intelligitur commensurativè, & non absolutè. Motus enim primi mo-  
bilis mensurat omnia, sed secundum plus & mi-  
nus.

*Omne quod movetur, est divisibile, 8. Phys. tex. 40. & 49. & 6 Phys. tex. 32, & 5. Phys. tex. 62.)*  
Intelligitur, Omne quod movetur per se de loco ad locum circumscriptivè & commensurativè, est divisibile. Dicitur omne quod movetur per se, prop-  
ter animam intellectivam, quæ licet moveretur ad motum corporis, tamen hoc non est per se, sed per accidens. Dicitur circumscriptivè, quia licet An-  
gelus movetur per se, non tamen de loco ad locum circumscriptivè, sed definitivè. Sed dicitur tamen, Cælum movetur per se, & tamen non est divisi-  
bile, ut habetur 1. Cæli. Respondetur, verum est de divisione reali, dividitur tamen secundum assignationem partium, scilicet orientis & occi-  
dentis.

*Omne quod movetur localiter, describit sibi spa-  
cium æquale præcisè in eodem instanti, ex 6. Phys.)*  
Et sic videtur, quod indivisibilia sicut angeli essent divisibilia. Respondetur quod authoritas intelli-  
gitur



gitur de illo, quod movetur de loco ad locum circumscriptivè.

*Optimum opponitur pessimo, 8. Eth. cap. 10.)*

Hoc axioma non semper verum dicit. Melius est enim esse studiosum, quam habere inclinationem naturalem ad virtutum studia, at pejus est non habere inclinationem ad virtutum studia, quam non esse studiosum: nam si non habeas istam Inclinationem, homo non eris, siquidem hæc inclinatio est insita naturæ humanæ. Itaque non semper optimo opponitur pessimum.

*Omne quod movetur, est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, 6. Phys.)*

Et sic videtur, quod mobile nunquam fit in spacio sibi æquali, quod est contra auctoritatem præcedentem. Respondetur quod sic intelligitur, Omne quod movetur interim quod movetur, particulariter attingit terminum ad quem, & terminum à quo: id est, quod nec est perfectè nec completè in termino à quo, nec in termino ad quem.

*Omnes actus distincti, sic se habent, quod unus potest conservari sine alio, 7. Metaph.)* Respondetur quod habet veritatem, ubi unus non dependet in esse ab alio; quia actus Socratis & Dei sunt actus distincti, & tamen unus non potest esse cum alio: sic etiam scientia est in anima; similiter operationes vitales sunt distinctæ ab anima, & tamen unum non potest conservari sine alio, ut prius dictum est.

*Omne quod movetur, movetur ab alio, 7. Phy.)*

Dicitur quod impossibile est movere seipsum per se; ut habetur 3. de anima, & cum hoc moveri: & sic impossibile est rem aliquam esse agens totale, & movens



movens totale: quin ad minus concurrit Deus aut materia prima.

*Omniem intellectum oportet esse impassibilem, per Comment. 3 de Anima.*) In oppositum est Philosophus ibidem in principio; ubi dicit, quod intellectus sit virtus passiva. Respondetur quod Commentator vult quod oportet intellectum esse impassibilem passione corruptiva, licet sit passibilis passione salvativa.

*Omne in corruptibile est nobilius corruptibili, 1. Phys.*) Intelligitur sic, si corruptibile non est melior conditio annexa quam sit illud incorruptibile. V.g. materia incorruptibilis est, & tamen forma corruptibilis melior est, non quidem ratione corruptibilitatis, sed ratione alterius.

*Omnis finis est melior ordinato in finem, 3. Top. & 2. Phy.*) Intelligitur de fine gratia cuius, quia talis semper est melior ordinato in finem, ex quo talis finis est gratia cuius.

*Omne ens aut est substantia, aut accidens, 12. Metaph.*) Intelligitur de ente simpliciter uno, & non aggregativo. Vel capiendo Ly Ens nominaliter & non participialiter, quia exercitus unus est ens, id est existens, & tamen non est substantia, sed plures substantiæ.

*Omni ino illud quod fit, ab aliqua ejus parte præexistit, 7. Metaph.*) Et per consequens formaliter se habet in materia ante ejus productionem: quod est contra Philosophum 1. Phys. Intelligitur ergo sic, omne quod fit completivè ut compositum, habet partes præexistentes ut materiam & formam, si non tempore, tamen natura. Nam materia quidem prima tempore præcedit compositum, forma autem i. 6. tempore sed duntaxat natura.

*Omne quod movetur, habet partes integrales, 6. Phys.)*



Phyf. ) Intelligitur de illo quod per se, & circumscriptivè.

*Omnis motus est de contrario in contrarium, 4.*

Phyf. ) Intelligitur de motu naturali, & non violento.

*Omne ens in suo loco naturali quiescit à motu, 4.*

Phyf. & 1. Cæli. ) Intelligitur quod omne ens in loco naturali quiescit à motu locali, non autem est verum de aliis motib. sicut de motu alterationi & augmentationis.

*Omnia natura constantia, excepto Deo, quod erat Cælum, secundum Empodeclem constant lue & amicitia, scribit Arist. in 3. Metaph. tex. com. 15.*

*1. Cæli & mundi in tex. com. 22. 1. Meteor.)*

Habuit hoc secundum quosdam Philosophos bonum intellectum. Nam inductivè consideranti in singulis quæ sunt hîc patebit, esse quasdam proprietates currentes inter entia. V.g. homini sano aliquid potest esse venenum, & tamen laboranti potest esse salutaris medicina. Vide Zimaram fol. 90.

Omne corpus est in loco, 1. Phyf.

Omne totum est majus sua parte, communis propositio.

Omnia sentimus per mediû, 2. de anima, tex. 114.

Omnes homines non decipiuntur, nisi in eo, quod nesciunt: aut in eo, cujus cognitio non est valde manifesta 4. Metaph. com. 8.

Omnia quæ fiunt, fiunt à natura, vel ab arte, vel à casu 7. Metaph. tex. 22.

Omne mendacium pravum, est fugiendum 4. Ethic. cap. 14.

Opus, quod fit à melioribus, semper est melius: 1. Polit.

Omnis domus regi debet à Seniore. ibid.

Omnis diversitas, videtur facere seditionem, 5. Polit. Optimus



Optimus populus est, qui terræ colendæ deditus est. 9. Polit.

Omnis excessus rerum, vel nocet, vel nihil proficit. 7. Polit.

Omnia amamus, sed præmia magis. ibid.

Omne laborans, requie indiget. 8. Polit.

Omnia aliena: tempus tantum, nostrum est. Seneca. Epi. 9.

Omne peccatum, actio voluntaria est. Ibidem de mor.

Oportet prius discere, quàm docere. Boeth. de discip. cap. 6.

Opus suum, diligit unusquisque artifex 6. Eth. cap. 8.

Omnia appetunt divinum esse, & illius gratia agunt quæcunque secundum naturam, 2. de anima, tex. 34. & 1. Phys.

Omnis sermo, si brevior fuerit, quàm oporteat, obscurat intellectum: Si longior, difficilis erit retentioni, & discipulo oblivionem inducit. 2. lib. de arte Poet.

Oportet ut ars in hoc imitetur naturam, ut omnia quæ agit, agat propter finem. ibid.

Omnia, bonum appetunt. 1. Rhetor. & 3. Top. cap. 1. & 1. Eth. cap. 1.

Omne consuetum, est delectabile. ibid.

Oblivio est signum parvi pensionis, & ided factiva iræ. ibid.

Omnis affirmatio, est vera vel falsa, in prædicam. cap. 5.

Oblivisci eorum, quæ quis fædè egit, bonorum est: reminisci verò, malorum. 3. Top. cap. 10.

Oportet discipulum credere 1. Elench. cap. 2. & 1. Polit. tex. 5.

Omne quod corrumpitur, à contrario corrumpitur 1. Phys. tex. 7.

Omne



Omne habens materiam, est generabile, & corruptibile. 1. Phys. com. 89.

Omne agens, agit propter finem 1. Phy. tex. 75.

Omne quod movetur, necesse est in tempore moveri. 4. Phys. tex. 129.

Omnis motus, est à quoddam in quodam, 5. Phys. tex. 3. id est à termino quo in terminum ad quem.

Omnis opinio, cui contradicit sensus, non est bona 8. Phys. com. 26.

Opposita juxta se posita, magis elucescunt, 2. Cœli tex. 40.

Omne ens naturale, desiderat permansionem sempiternam, 1. de An. tex. 34.

Omnis virtus unita, plus est, quam multiplicata. Auth. de causis cap. 6.

Omnia animalia morfa à cane rabido, rabiunt, excepto homine. lib. 8. de animal.

Omnes homines, natura scire desiderant, 1. Metaph. in prolo.

Omnia corrumpuntur in eo, ex quibus sunt. 3. Metaph. tex. 15.



P.

**P**ROPTER quod est unum quodque tale, semper & illud magis tale est, 1. Poster. cap. 2. & 2. meta. tex. 4.) Limitatur hoc axima quinque modis. Primo ut illud in quo fit comparatio, utriusque comparabiliū conveniat formaliter. Unde nō valet, deambulatur propter sanitatē, ergo sanitas magis deambulat,

L lat,



Iat, Ebrius est propter vinum, ergo vinum magis ebrium est. Secundo ut illud in quo fit comparatio suscipiat magis & minus. Unde non sequitur, ego sum risibilis, quia homo est risibilis: Petrus est homo propter patrem suum, ergo pater saus est magis homo. Tertio ut causa sit univoca non equivoca; Unde non valet, Parietis est albus propter pictorem, ergo pictor est magis albus. Nam etsi albedo conveniat utrique formaliter, & suscipiat magis & minus, tamen pictor parietis albi non est causa univoca, & quasi universalis, sicut Deus rerum omnium naturalium. Quarto comparatio fiat in effectibus positivis non privativis. Non enim sequitur Petrus est parvus propter patrem, ergo pater est magis parvus. Propter Deum non diligo mundum, ergo magis non diligo Deum: Quinto ut sint vere diversa, inter quae fit comparatio. Non enim valet. Video propter oculos, ergo oculi magis vident. Non enim aliud est videre meum & videre oculorum.

*Perfectum est quod tale alterum, quale ipsum efficere potest, 4. meteor. text. com. 19* ) Vera est propositio ubi alterum simile factibile est, quod additur propter Deum cum non possit facere alium Deum, quia non est factibilis alter. Deinde respondetur quod propositio veritatem habeat praecipue in animalibus & plantis quae sunt hic. Nam Arist. ibi loquitur de seminibus, ut patet intuenti verba tex. Et juxta hoc Arist. dixit, 1. de Anima tex. com. 34. Naturalissimum opus viventium est quaecunque perfecta & non orbata, aut generationem spontaneam habentia, facere tale alterum quale ipsum, animal quidem animal, planta vero plantam, unde proprie in habitibus virtutem generativam, veritatem habet.

*Particula-*



*Particularia & singularia semper in multitudine ex contrario dividunt illud quod unum est, per Porph.)* Respondetur quod ibi per particularia & singularia debet intelligi minus commune, ut sit sensus, particularia & singularia id est, minus communia dividunt, id est, in dividendo contrahunt, ex contrario illud quod unum est genus, V. g. corpus contrahunt animatum & inanimatum; Animatum contrahunt sentiens & non sentiens.

*Particularis in materia naturali equipollet suo universali, & e converso.)* Intelligitur de particulari simpliciter dicta, & de propositione indefinita; Ista enim, Homo est animal, equipollet illi universali, Omnis homo est animal, qui est in materia naturali & necessaria.

*Particularis negativa non est convertibilis, 2. & e converso.)* Intelligitur quod particularis negativa non est convertibilis formaliter in aliam particularem negativam, de modo loquendi consueto: cum hoc tamen stat, quod est convertibilis in unam de modo loquendi inconsueto.

*Proprium de uno solo predicatur, per Porph.)* Intelligitur tanquam de subiecto adequato, sic risibile licet predicetur de Ioanne & Paulo adeoque de pluribus aliis; tamen de uno tantum dicitur predicari, quatenus de solo homine predicatur ut subiecto adequato.

*Privatio per se non est ens, 1. Post.)* Intelligitur quod materia existens, privatio non est ens in actu formali per se, sed per formam cuius est privatio, quin & ipsa profecto privatio formaliter significat negationem, materialiter autem sive connotative aptitudinem ad formam; unde merito dicitur non ens.



*Principia oportet semper manere, 1. Phys. text. 50.)* Id est in omni transmutatione reperiri, vel ea semper habere conditiones, quas ibi Arist. describit, scilicet quod non fiant ex aliis nec ex alterutris, &c.

*Proprium est substantiae in subiecto non esse, per Philosophum in Praedicamentis.)* Sensus est, nullam substantiam esse in subiecto tanquam affectionem, sed bene tanquam partem.

*Plato non male dixit in eo quod sermonem Sophisticum sub non ente locavit, 6. Metaphysic.)* Respondetur quod Philosophus capit non ens improprie pro ente, quod gerit similitudinem alicuius: quod tamen non est.

*Penetratio dimensionum non est possibilis, 4. Meteor.)* Respondetur quod duplices sunt dimensiones; quaedam sunt quarum una habet se per modum actus, & alia per modum potentiae, ut albedo vel materia prima; tunc dicitur quod in talibus dimensionibus penetratio est possibilis. Sic etiam est, quando duae habent se per modum actus ad tertiam, quae habet se per modum potentiae, sicut albedo & dulcedo in lacte. Aliae sunt dimensiones, quarum una non habet se per modum potentiae, nec ambae habent se per modum potentiae; & sic penetratio dimensionum est possibilis.

*Processus in infinitum est prohibitus, 2. Phys.)* Intelligitur in praedicatis essentialiter subordinatis.

*Potentia opponitur actui, 9. Metaph. & 1. de Anima.)* Dicitur quod intelligendum est de oppositione relativa.

*Principia non fiunt ex alterutris, 1. Phys.)* Verum est non simpliciter, sed ut Ly ex dicit circumstantiam partis



partis. Et si enim forma fit ex materia, non tamen materia est pars formæ.

*Potentia accidit materiae, per Commentatorem, 1. Phys.)* Intelligitur quatenus communis illa & essentialis potentia materiae determinatur, per certas dispositiones accidentales ad hanc vel illam formam. Talis enim potentia sive talis determinatio accidit materiae.

*Prius est commune, proprio.)* Dicendum quod commune est prius proprio, si utrumque sit unius generis. Sed, in his, quæ sunt diversorum generum, nihil prohibet proprium esse prius communi.

*Politici est considerare de Anima, 1. Phys.)* Et sic videtur quod non est scientia libri de Anima. Respondetur quod Philosophus primo Phy. vult, quod Politicus considerat practicè de Anima, sed in libro de anima consideratur de anima speculativè,

*Privatio & materia differunt ratione & specie, 1. Phys.)* Intelligitur quod isti termini, privatio & materia habent diversas rationes, cum hoc tamen stat, quod habent pro suo significato, vel substrato eandem rem numero, per quam non distinguuntur.

*Principia rerum sensibilium sunt sensibilia, 3. Cæli & mundi, tex. com. 16.)* Glossatur per Averr. ibidem de principiis propinquis, non autem habet veritatem, ut inquit, propositio de principiis remotis, quia principia remota rerum sensibilium non sunt sensibilia, ut prima forma, & prima materia.

*Potentia superior potest, quicquid potest inferior, & nobiliori modo, 3. de Anima.)* Vera est  
L 3 propo-



propositio in potentiis quæ sunt eiusdem generis in substantialitate, eo modo quo vegetativum est in sensitivo, sicut trigonum in tetragono. In his quæ non sunt eiusdem generis in substantialitate, propositio locum non habet. Sicut anima est superior virtus quam sit corpus, non tamen anima potest supplere vicem corporis, & forma est superior materia, & non potest supplere vicem materia. Similiter comparando potentias materiales potentiis abstractis, locum non habet propositio formaliter loquendo, nam nō valet, homo generat, ergo intelligentia generat.

*Presupponit augmentatio alterationem, 1. Cœli com. 22.)* Intelligitur secundum Arist. in prædicamentis de augmento invento in physicis corporibus. Fallitur enim de augmento imaginario invento in rebus mathematicis. Et habet locum de vera augmentatione, quæ fit in plantis & animalibus, nam talis requirit præviam alterationem.

*Principium in cognitione, est finis in operatione, & principium operationis, est finis in cognitione, 6. Phys. tex. com. 89. & 7. Metaph. tex. com. 23.)* Veritatem habet propositio in operabilibus, sicut sunt actiones & factiones, vide Arist. 3. Ethic. cap. 6.

*Pueri beatificantur propter spem 1. Ethic.)* Intelligitur, pueri beatificantur, id est, dicuntur beati propter spem futuræ beatitudinis, licet actu non sint tales. Sed diceret: Quare hoc est? Respondetur quod ideo, quia concipimus in eis hanc spem naturali dispositione eorum: Vel ideo, quia videmus eos inclinari ad bona, & fugere mala: vel ideo, quia sunt procreati ex bonis.

*Præter*



*Præter verum, non est affirmatio vel negatio, 2.*  
*(S. i. e. pulchritudo.)* Ratio, quia verum habet se in pro-  
 positione sicut forma; Modò nihil potest esse abs-  
 que forma.

*Propositio in toto est falsa, quæ nullam singu-  
 larem habet veram, 1. Poster.)* Intelligi potest  
 sic, in qua genus generalissimum unius prædica-  
 menti prædicatur de genere generalissimo alterius  
 prædicamenti, in tota est falsa, ex quo nullam ha-  
 bet singularem veram. Vel potest intelligi sim-  
 pliciter quod propositio universalis, cuius nulla  
 particularis est vera, in toto sit falsa. Nam utiq; si  
 nulla in parte est vera dici poterit in toto esse falsa.

*Passionibus neque vituperamur, neque lauda-  
 mur, 1. Eth.)* Ergò passiones non sunt vituperio, aut  
 laude dignæ. Respondetur distinguendo: Passio-  
 nes enim duobus modis possunt considerari, & se-  
 cundum se, & quatenus subduntur rationis impe-  
 rio, & deliberationi voluntatis. Priori ratione, ne-  
 que laude, neque vituperio dignæ censentur, quoni-  
 am sunt motus quidam appetitus irrationalis, quib.  
 cum aliis animantibus communicamus. Si verò 2.  
 modo considerentur, sunt laude aut vituperio di-  
 gnæ: appetitus enim sensitivus, propinquior est ra-  
 tioni, quam exteriora membra: actus autem exte-  
 riorum membrorum, boni sunt aut mali, & ratione,  
 qua voluntarii sunt: ergò etiam motus appetitus  
 sensitivi. Præterea, licet appetitus secundum se li-  
 bertate careat, ex coniunctione tamen ad rationem,  
 libertatem habet; quapropter in eo virtutes collo-  
 cantur, ut fortitudo, & temperantia, &c. Passiones  
 itaque quatenus voluntariæ sunt, laudem meren-  
 tur, vel vituperium.

*Plura bona sunt eligibilia paucioribus bonis,*  
*3. Top.)* Intelligitur sic; Plura bona possibile sunt  
 L 4 bonis



bonis paucioribus compossibilibus eligibilia, dummodo unum illorum plurium eligibilium non sit propter aliud, & dummodo præminentia bonitatis teneat se ex parte pluralitatis; Dicitur, dummodo unum illorum non sit eligibile propter aliud, tanquam propter finem, quia propterea sanum fieri & sanativum, non sunt eligibilia sanitate. Etiam dicitur, quod intelligitur, Dummodo ista bona sunt eiusdem rationis, ita videlicet, ut præminentia bonitatis non proveniat ex parte materiæ, sed solum ex parte pluralitatis: propter hoc non sequitur, quod quatuor grossi essent eligibiliores florenis, licet sint plura bona. Dicitur etiam, Dummodo illa bona sint compossibilia, propter hoc non sequitur quod bonum esse monachum, & bonum esse conjugatum, essent eligibilia simul, quam bonum esse monachum solum. Similiter quod vivere castè, & generare sibi simile essent eligibilia, quia plura sunt, quam vivere castè solum: quod tamen est falsum, quia sunt plura bona incompossibilia. Denique intelligitur de bonis finitis, propter Deum, qui est bonum infinitum, & licet unus, tamen aliis omnibus quantumvis infinite præstat.

*Passivus quidem intellectus est corruptibilis, ex eo quod nihil intelligit sine phantasmate, 3. de Anima.* ) Illo textus secundum Commentatorem sic potest intelligi, quod per intellectum passivum intelligitur potentia cogitativa, quæ est educta de potentia materiæ, quæ nominat intellectum in ordine ad alios sensus, propter excellentiam. Alii vero dicunt, quod intellectus passivus, id est, phantasticus intellectus, objective dependens à phantasmate est corruptibilis. Scilicet ratione Phantasiæ & phantasmatum, utrumque enim corrumpitur & phantasia & ipsa phantasmata. Alio modo intelligitur hoc de intellectu, qui non est  
in



in formatuſpeciebus intelligibilibus, aptuſ tamē in formari, quantum ad denominationem. Cum enim informatuſ eſt, jam deſinit vocari intellectuſ poſſibilis, ſed intellectuſ adeptuſ, vel in habitu, adeoq; ſic quo ad denominationem illam, intellectuſ poſſibilis corrumpitur.

*Poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequitur inconve-*  
*niens.*) Senuſ eſt, ſi propoſitio de poſſibili mu-  
 tatur in ſuam de in eſſe, tunc ſua de in eſſe non erit  
 impoſſibilis Et pto ulteriori intellectu huiuſce au-  
 thoritat' s, eſt notandum, adhuc, ut aliqua propo-  
 ſitioneſ poſſibileſ ponantur in eſſe, requiri treſ  
 conditioneſ. Prima conditio, ſi aliqua propoſitio  
 univerſaliſ de poſſibili debeat poni in eſſe, non  
 debet hoc fieri per univerſalem, ſed potiuſ ſingula-  
 rem: ut iſta, Omne producibile Deuſ poteſt pro-  
 ducere, non debet ſic poni in eſſe, producibile  
 Deuſ producit, ſed ſic; Hoc producibile Deuſ pro-  
 ducit, & ſic de aliis. Secunda conditio. Quando  
 in propoſitione de poſſibili ſubjectum & prædica-  
 tum repugnant, tunc ponendo illam in eſſe loco u-  
 niuſ extremi, debet poni pronomen demonſtrati-  
 vum: ut Omne album poteſt eſſe nigrum, ponitur  
 ſic in eſſe, Hoc eſt nigrum, demonſtrando per Ly  
 Hoc, illud quod priuſ fuit album. Tertia conditio  
 eſt. Quando in propoſitione de poſſibili ponuntur  
 aliqua terminationeſ vel termini privati, qui vel  
 quæ in illa de in eſſe poſſunt facere aliquam repug-  
 nantiam, tunc ponendo illam in eſſe, taleſ termina-  
 tioneſ ſunt omittendæ: ut Socrates habent oculoſ  
 poteſt eſſe ſine oculoſ, ponitur ſic in eſſe, Socrates  
 eſt ſine oculoſ. Sicut illa: Socrates poteſt cras le-  
 gere, non poteſt ſic poni in eſſe, Socrates legit cras:  
 Sed ſic, Socrates legit.

*Poſita forma ſubſtantiali, ponitur etiam aliud,*

K S

cujus



*cujus est forma substantialis, 5. Metaph.*) Intelligitur sic; Posita forma substantiali actuali, & illo modo quo est forma, ponitur illud cuius est forma. Modò post mortem alicujus hominis anima non est forma ejus actualis, ideo tunc non est homo sed erit demum, ubi rursus à Deo conjuncta fuerit anima corpori in resurrectione mortuorum.

*Principia aliqua innotescunt sensu, & aliqua consuetudine, commune Ax. Philos.*) Et propter hoc Arist. 7. Top. dixit cap. 4. qui dubitant, utrum Deos venerari oporteat, vel parentes amare vel non, pœna indigent: qui vero utrum nix sit alba aut non, indigent sensu. Cultus enim Dei & amor parentum sunt principia in lege, roborata consuetudine, & ideo à legislatoribus posita est pœna corporis afflictiva. Nivem autem candidam esse, cognitum est sensu, & motum esse, etiam patet ad sensum, Vnde Arist. 8. Phys. auscult. tex. com 22. contra Zenonem negantem motum, inquit, omnia igitur quiescere & hujus rationem quærere dimittententes sensum, infirmitas quædam est intellectus.

*Potius eligendum est id quod possibile, quam quod impossibile. 3. Top. cap. 1. Hoc est, quod facile sit quam quod difficile. Eorum enim que nullo modo fieri possunt, nulla est electio, ut ex 3. Eth. cap. 2. patet.*) In hoc pronunciato intelligenda est hæc moderatio. Modò cætera sint paria: quæ in aliis plærisq; similibus axiomatibus subaudienda est. Magis eligendum est hac de causa capescere scientiam doctrina, quam inventionem. Illud enim per se facile est, hoc valde laboriosum. Virtus etiam & si difficiliter acquiritur, quam scientia, est tamen magis eligenda, quia melior, & sic in multis.

*Principia*



*Principia sunt tanquam locus januae in domo, quem nullus ignorat. 2. Metaph. com. 1. ubi etiam textus aperte dicit, In foribus enim quis delinquit? )* Animadvertite, quod alia sunt principia cognitionis, alia autem sunt principia cognitionis & esse. Propositio igitur locum habet de principiis cognitionis ( sicut sunt maximae, seu dignitates, & communes animi conceptiones ) hoc est, de principiis communissimis, quae solum ex notitia terminorum communissimorum evidentiam habent, ut de quolibet dicitur esse vel non esse, &c. Sicut sunt principia quae ex ipso sensus testimonio habent evidentiam, sicut motum esse, &c. Propria verò quae non sunt tantae evidentiae, quandoq; indigent aliqua suadela. Nam aliqua principia alicujus scientiae specialis inductione innotescunt, aliqua verò consuetudine, ut sunt principia legum & scientiarum legalium, aliqua verò per alias vias, ut scribit Arist. 1. Eth. cap. 10.

*Plantae sunt simplices, 2. de Anima. )* Intelligitur respectivè, quia non habent tantam diversitatem in suis organis, sicut animalia habent in suis partibus.

*Potentia sensitiva contrariatur intellectui, 1. & 2. Eth. )* Non per se sed per accidens. Tendit enim utraq; in suum objectum & suum bonum. Fit autem nonnunquam pro loco, tempore, persona, &c. ut simul ista bona stare non possint. Deinde etiam natus est appetitus sensitivus obedire rationi, ut docet Arist. ibidem. Unde non simpliciter contrariatur rationi.

*Principium sensitivum est in corde, 2. de Anima )* Sensus est quod Spiritus animales & sensitivi à corde proficiuntur.

Primo



*Primus motus est in oriente, 4. Polit.)* Respondetur verum est antonomastice, id est, per excellentiam, quia ibi relucent nobiliores effectus.

*Philosophus est ille qui scit principia & causas substantie, 4. Metaph. com. 2.)* Vbi per Philosophum intelligas divinum, scientia enim divina per antonomasiam dicitur Philosophia prima, via naturæ & nobilitatis, licet via doctrinæ sit postrema.

*Potius eligendum est, cui consequens est magis bonum aut minus malum. 3. Top. cap. 1.)* Vt confilia Evangelica servasse in hac vita, quam præcepta communia duntaxat, & abscindere membrum corruptum, quam servare.

*Principium & causa convertuntur, 1. Metaph.)* Intelligitur de principio essendi, quod est quadruplex, scilicet secundum quatuor causas, ut efficientem, finalem, formalem & materialem: & capi endo principium sic, tunc principium & causa convertuntur. Alioquin principium latius patet quam causa.

*Participatione speciei plures homines sunt unus homo, per Porph.)* Intelligitur secundum S. Thomam, Plures homines sunt unus homo participatione speciei, id est, sunt unum in specie. Et non sequitur, Sunt unum in specie, ergo sunt unum, quia omne unum in specie, est esse unum secundum quid. Alii sic dicunt, Plures homines sunt unus homo participatione speciei, id est: continent unam speciem humanam, & sic species humana est perpetua. Alio modo exponitur logicaliter, Plures homines sunt unus homo, id est, plures homines significantur per illum terminum, Homo, participatione speciei. Alio modo, naturalis similitudo  
hominis



hominis vel unus conceptus communis hominis  
pluribus hominibus convenit.

*Perpetuum est corruptibile.*) Sensus est, perpetuum  
non significat non posse corrumpi unquam, sed tan-  
tum, non corrumpi unquam.

*Potentia naturalis est irrationalis, 2. & iculueius.*)  
& 9. *Metaph.*) Respondetur quod vult, quod be-  
ne valet consequentia cum specificatione: ut Poten-  
tia est naturalis, ergo ut sic est irrationalis, &c. non  
valet simpliciter sine specificatione Quia homo  
aliquando agit merè naturaliter, & aliquando se-  
cundum intellectum, sive rationis arbitrium.

Posse ab ipso esse nihil differt in perpetuis. 3.  
*Phys. tex 32.*

Philosophus non debet quicquam asserere, quod  
non demonstratione aut inductione saltem osten-  
dat. 8. *Phys. tex. com. 15.*

Propositiones naturales duplici de causa fiunt  
dubitabiles, vel quia aliqui enutriti in opinionibus  
falsis non possunt assentiri principiis veris Phi-  
losophiae: vel quia aliqui existimant, quod prin-  
cipia ejus debent esse tantæ certitudinis, sicut prin-  
cipia Geometriæ, contra quos *Arist. 2. Metaph.*  
*tex. com. 16. Com. 1. Coeli com. 50.*

Propter malum illatum ab inimicis, nullus in-  
tantum læditur, & contristatur, quantum tristatur  
malo illato ab amicis. 2. *de arte Poet.*

Propter consuetudines malas & perversas, nul-  
lus laudatur. 2. *de arte Poet.*

Peiores sunt nuper ditati, quam ditati ab anti-  
quo. 2. *Rhetor.*

Possibili posito inesse nullum sequitur incon-  
veniens. *lib. prior. cap. 18.*

Principia demonstrationum, sunt definitiones,  
2. *poster. tex. 2, & 1. Phys. tex 10.*

Perfectum



Perfectum est, cujus nihil est extra accipere. 2.  
Coeli tex. 23.

Plus temporis perficit anima in ignorantia,  
quàm scientia. 2. de anima tex. 151.

Probabilia secundum totum, non possunt esse  
falsa. 3. de an. com. 5.

Philosophia, docet homines cognoscere crea-  
torem suum. Arist. de morte.

Purus & perfectus Philosophus, mortificat de-  
sideria hujus seculi, quæ adducunt eum ad morti-  
ficationem corporis & animæ. ibid.

Propter admirari, homines nunc, & primò cæ-  
perunt Philosophari. In prolo. meth.

Perfectum est, cui nihil deest, & est duplex, sci-  
licet simpliciter extra quod nihil est: & perfectum,  
in genere 5. Metaph. tex. 21.

Prandium differt à cæna, secundum diversita-  
tem temporis tantum. 8. Meta. tex. 5.

Privatio & habitus, radix sunt contrariorum.  
10. meta. com. 15.

Principium, est plus quàm dimidium. 1. Eth.  
cap. 10. & 5. Polit.

Passio non est virtus, nec vitium: quia secundum  
eam nec laudamur, nec vituperamur. 2. Eth. cap. 4.

Primum in generatione, est ultimum in reso-  
lutione. li. 3. cap. 6.

Paruæ expensæ sæpè factæ, consumunt substan-  
tiam. 5. Polit.

Pejora sunt tecta odia, quàm aperta. Seneca de  
mor.

Palatum tuum fames excitet, non sapor, idem  
cap. de contin.

Pecuniam perdidisti, fortasse te illa perdidisset, &  
te felicem, si cum illa avaritiam perdidisses. idem de  
remed. fortuit.

Philo-



Philosophia, est omnium virtutum magistra.  
Boeth. de Consol. pro. 3.

Philosophia, est summum laetorum animorum  
solatium. idem. 3. lib. pro. 1.

Probos mores, sua præmia non relinquunt. idem  
4. lib. pro. 3.

Perpetua conversatio, contemptum parit: raritas  
autem, admirationem conciliat. Apulejus, de Deo  
Socratis.

Præstantissimum animal in terris existens, est  
homo, Idem ibid.

Propter nostrum affirmare vel negare, nihil in  
re ponitur. 1. de intèpretat. cap. 6.

Pergraviter unusquisque fert, honore suo pri-  
vari. lib. Oecon.

Præmium virtutum, est honor. 4. Eth. cap. 9.



Q.

**Q**VAERERE rationem, & dimittere  
sensum infirmitas quadam est intel-  
lectus 8. Phys. tex. 22 ) Intelligitur  
qui querit rationes quibus destruat  
illud quod apparet sensui, est debilis  
discretionis & imbecillitatis intellectus. Et hoc est  
nescire per se notum, à non per noto distinguere. Et  
veræ conclusiones non declarantur, nisi à proposi-  
tionibus, & propositiones à sensu, & experimentū verō  
rū nō est, nisi ut conveniant sensatis, non è converso.  
Quando sunt duo agentia, quorum unum est for-  
tius, & alterum debilius, fortius citius producit  
suum



*suum effectum, quam debilius, commune Ax.)*

Verum est de agentibus per abjectionem contrarij: quia ubi est contrarietas, ibi est resistentia, & ubi est resistentia, ibi est successio, ut dicit Conmen. in 4. Phys. in com. 71. Fallit autem in agentibus sine contrarij abjectione, sicut patet de duobus corporibus luminosis, quorum unum sit intensius altero: utrumq; enim in instanti illuminat, licet lumen productum à potentiori sit intensius lumine producto, à debiliori.

*Quaecunq; moventia & non mota, amplius non sunt physicae considerationis, 1. Phys.)* Et sic videtur quod de Deo sit scientia, quia ipse est immobilis, ut patet 8. Phys. Respondetur quod authoritas tantum vult, quod entia moventia considerata non in ordine ad motum, non sunt physicae considerationis ita quod Physicus non habet aliquid considerare de iis, nisi per attributionem ad motum, cujus motus natura est principium, quæ enim simpliciter seu quidditative sunt Physicae considerationis, ea in se debent habere principium ut ipsa etiam physice moveantur, non tantum moveant. Intelligentiæ ergo tametsi physice movent, non tamen Physice moventur. Et ideo etiam secundum quidditatem suam ad Physicum non spectant.

*Qualibet definitio ponibilis est in predicamento, 1. Top.)* Intelligitur quod qualibet definitio secundum suas partes & reductivè est ponibilis in predicamento, non autem per se & proprie.

*Quod fit, non est, 1. Metaphysicorum.)* Intelligitur si aliquod ens permanens fit successivè, tunc interim dum fit, non est, id est, non habet esse completum sed fieri rei successivæ est ejus esse.

*Qualibet propositio reduplicativa, in qua reduplicatur*



*plicatur predicatum, est falsa & impossibilis, 1. Prior.*) Respondetur verum est, ut patet de illa, Homo est animal in quantum animal: illa est falsa & impossibilis ut patet ibidem.

*Quaecunque uni & eidem sunt eadem, illa inter se sunt eadem, 1. Phyl.*) Intelligitur quaecunque divinum sumpta sunt uni & eidem eadem, inter se sunt eadem. Si enim tantum collectivè sumpta sunt idem uni tertio, non sunt idcirco idem inter se. Intelligitur præterea. Quaecunque uni termino singulari sunt eadem, inter se sunt eadem, & sic excluditur species, cui tametsi eadem sint, Petrus, Paulus, & Ioannes, tamen non sunt idem inter se. Et ratio est quæ item fortè sufficere queat ad limitandum hoc axioma: Quia non sunt eadem specie simpliciter.

*Quicquid potest causa prima cum secunda, hoc potest se sola, per authorem in de Causis*) Intelligitur in genere causæ efficientis, & secundum potentiam primæ causæ absolutam: sed in genere causæ formæ vel materialis hoc axioma non procedit. Etsi enim possit DEUS sine homine facere hominem, V.g. creando hominem aliquem ex nihilo, tamen non potest eum facere album nisi per albedinem rationalem, nisi per formam aliquam rationalem, nec materialem, seu corpoream, nisi per materiam & corpus.

*Quando aliquando duo sunt idem in essentia, si unum per se est corruptibile, etiam & reliquum, 4. Metaph.*) Modò videmus quod materia & compositum sunt eadem res in essentia, & sic videtur quod materia esset compositibilis, & consimiliter potest probari de forma intellectiva. Respondetur quod verum est, quando penitus sunt idem &

M

unum



unum secundum essentiam. Sed materia & forma ipsius compositi sunt essentialia principia ipsius compositi diversa, & partes essentialia diversa, quæ non possunt dici esse unum in essentia sicut compositum.

*Quæcumq; differunt genere, differunt numero & specie, 3. Metaph.*) Intelligitur dupliciter, Uno modo sic, Quæcumque genere differunt realiter, differunt numero & specie realiter. Alio modo sic: Quæcumque differunt genere prædicamentali-ter, differunt numero & specie prædicamentali-ter. Vel dicitur quod illa autoritas intelligitur in genere substantia, & non in genere accidentium.

*Quantitas non est de virtutibus activis & passivis ad invicem, 4. Metaph.*) Respondetur quod Philosophus vult quod esse activum & passivum non attribuitur quantitati, sed bene speciebus qualitatis.

*Quod recipit esse, post non esse, est generabile, 4. Phys.*) Respondetur quod verum est de illo quod recipit esse a forma, quia forma est quæ dat esse rei, ut patet per Philosophum 1. Phys. Hinc anima rationalis non est generabilis, licet habeat esse post non esse, quia non habet tanquam compositum ab aliqua forma. Etiam verum est de esse formali, non autem entitativo. Hinc materia prima non est generabilis, quia licet nec ipsa fuerit semper, sed a Deo acceperit esse post non esse, non tamen habet actum aliquem formalem, sed tantum actum entitativum, ideoq; dicitur generata vel generabilis.

*Quæstio est dubitabilis propositio, per Boet.*) Et sic videtur quod quæstio sit propositio, quod tamen est falsum. Respondetur quod quæstio capitur uno modo pro signo interrogativo & oratione, cum



ne, cum qua interrogatur; & sic quæstio non est propositio, & hoc vult Boetius. Secundo sumitur pro ratione, cui signum interrogativum additur, & sic quæstio est propositio, sicut illa oratio, Cœlum habet materiam, cui additur, Utrum cœlum habeat materiam, est propositio, & hoc vult Boetius.

*Quæcunque differunt plus quàm numero, differunt specie, 5. Metaph.)* Respondetur quod Philosophus vult, quod quæcunque differunt plus quàm numero essentialiter, illa differunt specie, & sic nõ oportet quod vir & mulier differant specie, sicut nec Socrates albus & Plato niger differunt specie, quia solum differunt specie, accidentaliter.

*Qui non unum intelligit, nihil intelligit, 4. Metaph.)* Respondetur quod intelligitur sic, qui non unum intelligit ad minus, nihil intelligit. Vel sic, capiendo Ly Non infinitanter, qui non unum intelligit, nihil intelligit, & hoc hoc est quoque verum.

*Quicquid caret operatione, caret & essentia, per Comment, 9. Metaph.)* Respondetur quod illa autoritas universaliter non est vera, quia datur instantia de materia prima. Verificatur tamen & de ista, si essentia accipiatur pro actu specifico seu esse formali.

*Quod non est, non contingit scire 1. Poster.)* Verum est tanquam scibile propinquum, sed bene tanquam remotum. Vel sensus est, quod non est, nec esse potest, non contingit scire. Sicut enim res habet ad esse, ita ad cognosci.

*Quidditas rene est forma rei, 7. Metaph.)* Verum est in simplicibus, non autem in compositis, Ibi enim secundum communem opinionem, etiam materia est pars quidditatis.



*Quaecunque habent differentiam in eodem subiecto, differunt specificè, . Metaph.)* Si igitur illi gradus in alteratione propriè dicta acquirantur successivè, & habeant differentiam in eodem subiecto different specificè, ut vult authoritas: & sic qualitas secundum quam fit alteratio, propriè dicta, non esset simplex, sed diversarum rationum. Respondetur quod vult, quod qualitates intensibiles & remissibiles existentes in eodem subiecto, non facientes unam qualitatem totalem, illæ differunt specie. Sed si illæ qualitates faciant unam totalem qualitatem, tunc non differunt specie, V.g. albedo & nigredo sunt in eodem subiecto, & sunt intensibiles & remissibiles, nec tamen in illo subiecto faciunt unam qualitatem, ergo differunt specificè.

*Quod semper aut plurimum est utile, melius est quàm quod aliquando, 3. Top. cap. 2.)* Ut justitia & temperantia quàm fortitudo. Nam illis semper aut ferè semper uti possumus, hac rarius.

*Quod ad omnia vel plura utile est, melius est quàm quod ad pauciora. 3. cap. Topic.)* Ut aqua quàm vinum præstantior est, quia aqua nullus hominum carere potest, & eius usus est copiosior.

*Quod inest rei meliori, melius est, Top. 3. ca. 1.)* Ut quod inest animo, quàm quod corpori, ut virtus quàm sanitas, illa animæ inest, hæc corpori. Hoc tamen non est usquequaque verum, nisi de iis bonis intelligatur, quæ rebus quibus insunt, propria sunt.

*Quædam melius est non videre, quàm videre, 12. Metaph. tex. 5.)* Verum est in humanis, sed non in divinis.

*Quod potius eligit prudens aut vir bonus, aut recte*



*recta lex, aut qui in aliqua re excellent, qua ratione tales sunt, aut in unoquoque genere peritis aut plures, aut omnes, aut omnia, præstantius est, 3. Top. c. 1.)* Ut curare magis æterna, quam quæ labuntur cum tempore: nulla potius affici iniuria, quam afficere, permittere minora quædam mala in Repub. ne maiora eveniant, quam velle omnia penitus extirpare. Item quæ in exponendis divinis scripturis sancti Doctores docuerunt, quam quæ scioli Grammatici autumant, &c.

*Quicquid est causa causæ, est causa causati, per Authorem de causis.)* Intelligitur quod quicquid est causa causæ, loquendo de causa essentiali & positiva, hoc est causa causati; dicitur positiva propter vitia quæ sunt causata privativè, unde licet Deus sit causa hominis, tamen non peccati, quia peccatum est privatio quædam, & defectus hominis. Sicut tibia recta cum tibia curata, est causa pro præssionis, non tamen claudicationis, quia ista est defectus quidam & privatio pertinens non ad causam præssionis, nec ad ipsam præssionem sed ad tibiam deficientem.

*Quæcumque sunt eiusdem speciei, quicquid uni convenit, convenit & reliquo, est com. animi cõcept.)* Intelligitur essentialiter vel de prædicatis essentialibus, similiter de accidentibus propriis. De aliis enim multum fallit.

*Quod diuturnius est, id præstantius 3. Topic. ca. 1.)* Subaudi, saltè si cætera sunt paria, & ea quæ cõparantur sint bona. Sic vita, quæ in actione virtutû per omne tempus æquabiliter versatur, quò longior fuerit, eò melior.

*Quod rei bonæ propinquius est aut similius, aut meliori similis: id melius, 3. Topic. cap. 2.)* Ut qui



vitam Apostolicam aut Christi Opt. Max. magis imitantur, quam cæteri.

*Qui dicit animam gaudere vel tristari, dicit eam texere & edificare, 1. de Anima.*) Intelligitur, qui dicit se sola anima gaudere vel tristari, dicit eam texere, sic quod Philosophus vult, quod non solum convenit animæ, sed prout est coniuncta corpori. Rectius & brevius Egidius ibidem; Minus propriè dicit, qui solum animam dicit gaudere vel tristari, magis propriè qui hominem.

*Quorum effluvia sunt bona ipsa sunt bona. Vel ut aliqui proferunt. Quorum cause sunt bona ipsa sunt bona, 2. Topic. cap. 3.*) Limitatur verum esse qua ratione à bonis causis proveniunt. Nam et si à bonis causis, mala quædam nascuntur (ut à Viris probis levia peccata) non tamen ab illis proveniunt qua ex parte sunt bonæ. Sæpe etiam effectus qui à bona causa non malus nasceretur, ab alia mala vitatur; ut si quis restituat alienum gladium ut homicidium aliquod perpetretur. Quin etiam sæpenumero cum causæ omnes sunt bonæ, mala una circumstantia potest effectum reddere vitiosum. Itaque si causa est bona effectusq; ab ipsa provenit, qua ex parte bona est, tum demum erit bonus si aliunde non vitietur.

*Quicquid potest in maius, potest in minus, 1. Cæli.*) Intelligitur per se & virtute propria, & de illis quæ sunt eiusdem generis. Non enim valet, potest componere librum, ergo coquere cibum communè, quod minus est (non enim ista sunt eiusdem generis) sed bene valet, potest componere librum, ergo Epistolam, vel tres, quatuorve congruas lineas.

Quorum



*Quorum generationes sunt bonæ, illa sunt bona,*  
 2. Top.) Intelligitur per se, sive quantum est ex parte generationis, sive ex parte efficientis. Quia stat patrem esse bonum, & filium non, ob propriam filii voluntatem.

*Quorum corruptiones sunt bonæ, ipsa corrupta sunt mala.*) Intelligitur quorum corruptiones per se sunt bonæ, si enim per accidens sunt bonæ, ipsa corrupta non propterea sunt mala. V. g. mors Christi innocentis per se mala fuit, bona autem quatenus ab eo oblata in redemptionem nostram. Contra, mors Herodis Tyranni bona fuit per se. At si sequuta esset indigna illa nobilium strages, quam ille morti proximus optarat, & sorori, quasi testamento reliquerat, per accidens fuisset mala.

*Quod verè est, nulli accidit, 1. Phys. tex. 30, & 26.*) Id est, substantia nullius est accidens, sermo est de substantia propriè dicta similiter etiam de accidente, item de his quæ dicuntur univocè non analogicè. Nã scientia est substantia in Deo, in homine autem est accidens. Et ratio huius propositionis est quoniam ut dicitur in prædicamentis. Communè est omni substantiæ in subiecto non esse: Hoc autem proprium est omnis accidentis. Quare sicut hæc sunt contradictoria: esse in subiecto & non esse: sic esse subiectum & accidens.

*Quod omni tempore est utilius, hoc est eligibilius,*  
 3. Top.) Et sic sequeretur quod fortitudo esset eligibilior temperantia vel iustitia, eò quod fortitudo omni tempore est utilis. Respondetur quod fortitudo capitur dupliciter. Uno modo quo ad habitum, alio modo quo ad dictum, & sic fortitudo est operatio fortitudinis, & illo modo non semper est

M 4

utilis



utilis actualiter: quia si omnes essemus justii, tali fortitudine non indigeremus.

*Quicquid est in effectu, est in causa communis propositio in Metaph.)* Et sic sequeretur quod omnis imperfectio esset in D E O. Intelligitur ergo sic, *Quicquid est perfectionis in effectu, hoc etiam est in causa, non quidem formaliter, sed virtualiter vel reductivè, quia etiam omnis perfectio ultimè ordinatur ad primam causam.*

*Querere quare quaedam appropriantur in eodem genere quibusdam entibus, est summa fatuitas.)* Unde non est petendum quare terra sit terra, aut ignis sit ignis, Et querere in re simplici (ut quare homo est homo?) est nugatio 7. Metaph. com. 5 9. idem 4. Metaph. com. 3. ubi habetur, quod prædicatio eiusdem de seipso est nugatoria.

*Quantitas non est de genere activorum 4. Phys.)* Intelligitur uno modo, quod quantitas ut quantitas, non est de genere activorum, & sic est vera, sed quantitas ut substantia, bene est de genere activorum. Alio modo dicitur, quod quantitas secundum suam essentiam non est de genere activorum, licet benè secundum suas dispositiones.

*Quod non contingit aliter se habere, necesse dicitur ita se habere, 5. Metaph. tex. 6.)* Nota duplex necessarium quod ibid. tradit Arist. nempe necessarium simpliciter, & necessarium tanquam melius, & convenientius, hoc est, ad finem aliquem aliquid esse necessarium dupliciter; Uno modo, sine quo aliquid esse non potest: sicut cibus est necessarius ad conservationem humanæ vitæ Alio modo, per quod melius & convenientius pervenitur ad finem: sicut equus necessarius est ad iter.

Quando



Quando ex ignobiliore nobilior generatur, generatio est simpliciter & secundum quid corruptio, quando vero opposita ratione ex nobiliori, id quod ignobilior est gignitur, simpliciter quidem corruptio, secundum quid autem generatio est. 1. de generatione.

Quod potentia est, contingit non esse. 2. Metaph. textu. 30.

Quod parum, tanquam nihil distare videtur. 2. Phys. tex. 56.

Quantitati nihil est contrarium.

Quod non credit quis, non movet eum ad timendum, vel sperandum. 2. in arte Poet. Comment.

Quod consuetum est, veluti innatum est. 1. Rhetor.

Quicquid fuerit superabundantius, & majus, quam est debebat, hoc est malum. ibid.

Quod brevius est, semper est delectabilius. 2. Rhetor.

Quod dictum est, non potest amplius sumi in prædicam. cap. de quantitate.

Quod frequenter dicitur conturbat audientem. 5. Top. cap. 4.

Qui virtutis nominum sunt ignari, facile decipiuntur. 1. Elench. cap. 1.

Qui dicit, naturam non agere propter finem, tollit sollicitudinem Dei, circa ista inferiora. 2. Phys. com. 75.

Quod non est, nusquam est. 4. Phys. tex. 1.

Qui caret sensu, caret intellectu illius generis sensibilium 2. de anima, com. 53.

Quaecunq; differunt in subjecto, differunt in esse. ibid. tex. 152.

Qui nihil sentit, nihil addiscit, nec intelligit. ex. 39. 3. de anima.

Quod est in potentia, est privatio ejus, quod est in actu, Com. de Som. & Vig.

M 5

Quod



Quicquid potest causa secundaria, potest etiam causa primaria, nobiliori & altiori modo. Auth. de causis cap. 2.

Qui inquit Philosophiam, inquit gradus altissimos, & divinos. Lib. de morte.

Qui invenerit Philosophiam, invenit vitam in utroq; seculo. ibid.

Qui dubitat, & admiratur, ignorare videtur. in prol. mera.

Qualis unus quisque est, taliter vivit 4. Eth. cap. 14.

Quae simpliciter sunt bona hominibus, pro his orant. 5. Eth. cap. 2.

Quanto major est fortuna, tanto minus est securus. 3. Eth. cap. 1.

Quod cum majore labore acquiritur, magis diligitur. 9. Eth. cap. 8.

Quaedam delectant nova, quae postea non similiter delectant. 10. Eth. cap. 2.

Qui alteri servit, non est per se sufficiens 4. Polit.

Quod est parum, quasi nihil differt ab eo, quod est nihil. 5. Polit.

Quicquid dicturus es, antequam aliis dixeris, tibi dices. Sen de mor.



## R.

**R**EMISSIO fit per admixtionem contrarij, colligitur ex mente Philosophi. 5. Phys. tex. com. 9. & 2. Coeli tex. com 37.) Vera est propositio



positio in habentibus contrarium, nam in contrarietate carentibus, locum non habet, lumen enim intenditur, & remittitur propter virtutem, aut debilitatem agentis. In habentibus etiam contrarium, universaliter etiam locum non habet, nam in simplicibus in sua puritate consideratis, unum elementum in qualitate est remissum, respectu alterius.

*Rationem querere eorum quæ sensu patent, infirmitas quædam est intellectus, 8. Phys. com. 22.)*

Ubi Themistius inquit perridiculum est ubi sensus fidem facit rationem querere, quædam adeo imbecillitas retusioq; animi est, non statim perspicere quid desideret rationem: habentur enim nonnulla quæ certiora illustrioraq; sunt, quàm ut rationem ullam exoptulent, vide hoc idem axioma in littera Q. explicatum.

*Ridiculum est conari demonstrare naturam, quia hoc est per se notum, 2. Phys.)* Respondetur quod vult, ridiculum esse velle demonstrare naturam, V.g. quo ad quid est & similia, quia hoc est notum de se, non autem quo ad alia quæsitiva.

*Radices in plantis sunt similes ori in animalibus, 2. de Anima.)* Ratio quia secundum Philosophum ibidem, tam radix quàm os recipit alimentum, per quod res in esse individuali conservatur.

*Res naturales & artificiales sunt distinctæ, 2. Phys.)* Intelligitur secundum denominationem sic, quod denominatio artificialis est posterior naturali, & sic distinguuntur secundum rationem, non autem secundum rem, nempe ars se habet ad naturam, sicut modus rei ad rem, unde non realiter, sed tantum formaliter ab ea distinguitur.

*Repetitio*



*Repetitio in rebus arduis fieri debet in predicament. ad aliquid.)* Talia enim (ut dicit Arist. ibidem juxta finem capituli) non possunt perfecte declarari nisi saepius pertractata fuerint. Ita etiam scribit lucidiss. Themist. in 3. Phys. in exord. tex. com. 15. ubi Aristorelicam repetit motus definitionem sub aliis verbis, inquit enim; sed denuo illa eadem repetamus (non modo iterum, sed ter & quater; & si libuerit etiam saepius, ut difficultates appareant & enodentur, illasq; saltem frequenti tractatu facile assequamur.

*Receptans debet esse denudatum à natura recepti tam in receptione reali, quam in receptione spiritali. 2. de anima com 67. & 3. de an. com. 4.)* Ista propositio intelligitur à natura illius speciei, & non à natura sui generis & maxime remoti, & maxime ejus quod dicitur secundum equivocationem.

*Relativa sunt simul naturâ, in Prædicamentis.)* Vbi advertendum duo esse necessaria, ut aliqua sint simul naturâ Unum, quod mutua sit ab uno ad alterum consequentia, quantum ad eorum existentiam alterum ut neutrum sit causa alterius. Defectu prioris, superius & inferius non sunt simul naturâ. Quia etsi valeat, Homo est, ergo animal est, non tamen valet, animal est ergo homo est. Defectu posteriori, sol & lux non sunt simul naturâ. Quia sol est causa lucis. Vtrumq; autem habent relativa Valet enim consequentia mutua ab uno ad alterum & unum alterius non est causa. Quæ tamen duæ conditiones in eis verificantur, quatenus relativa sunt, sive secundum ipsam formam relationis, non autem secundum fundamentum & subjectum relationis. Homo enim ille qui est pater, utiq; prior est  
hominine



homine qui est ipsius filius, & est causa eius, attamen quatenus pater, non est prior filio, nec magis dependet secundum hanc relationem ab ea filius, quam ipse a filio, sed est mutua prorsus dependentia, & ideo vel neutrum est causa alterius, ut communiter dicunt Doctores, vel sicut sibi invicem causa ut dicit Simplicius cum Archita.

Rerum alia sunt universales alia particulares,  
1. de interpret. cap. 5.

Rhetor non semper persuadet, nec Medicus semper sanat. 1. Top. cap. 22.

Ruditas est, non cognoscere, quorum oportet querere demonstrationem, & quorum non oportet. 4. meta. tex 9.

Refrenationes, sunt medicinae voluptatum. 2. Ethic. cap. 3.

Rex debet se habere ad subditos, sicut pastor ad oves. 8. Eth. cap. 8.

Regens, naturaliter dignius est recto. 1. Polit.

Requies, nec cessario est delectabilis: quia est medicina tristitiae, quae consistit in labore. 8. Polit.

Remedia non profunt, nisi immorentur. Sen. Epi. 40. lib. 5.

Rerum effectus exhibitione operis declarantur. Boeth. cap. 6. de discip.

Responsio quae datur interrogationibus quae dicuntur aequivoce, debet dari cum distinctione. 7. meta. com. 36.

Ros est pluvia subtilis descendens in nocte. 1. meteor. cap. 4.

Rationi fides adhibenda est, si quae demonstrantur, conveniunt cum his quae sensu percipiuntur rebus. 3. de gener animal. cap. 10.

Requies & ludus, in vita videntur esse necessaria. 4. Eth. cap. 15.

Rationem



Rationem contrurbat, vinum non modicè sumptum, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, & ignorantiam inducit. Modicè verò sumptum acuit in genium, Boeth. de discip. cap. 2.



S.



**S**EMPER in uno genere est contrarietas una, 1. Phys. tex. com. 5 6.) Verum est de contrarietate secundum esse & non esse, id est, secundum privationem & habitum, nam in omni genere est una contrarietas, scilicet privatio & forma, vel secundum contrarias differentias condidentes illud genus.

*Semper divisio generis est in plures species, per Porph. )* Intelligitur quodlibet genus est semper divisibile divisione logica, per differentias oppositas in plures species actuales, aptitudine in genere existentes: & illarum specierum ad minus debent esse duæ: cum hoc tamen stat, quod possunt esse plures.

*Sunt ergo ea, quæ sunt in voce, earum, quæ sunt in anima, passionum notæ, 1. Perihermeneuticas.)* In hac propositione Philosophus per ea quæ sunt in voce, intelligit signa vocalia, & per passiones in anima intelligit terminos mentales, & conceptus, & tunc sensus authoritatis est, quod signa vocalia sunt notæ, id est, signum conceptuum seu terminorum mentalium: tunc ex illa authoritate colligitur commune dictum, quod voces significant conceptus



ceptus ad placitum ultimatum, licet ipsi conceptus quibus subordinantur, significant naturaliter.

*Sola species habet proprium, per Porph.)* Inteligitur quod proprium magis attribuitur speciei quam alteri, quia proprium influit ab essentia rei, id est, speciei; Vel dicitur quod ipse capit speciem communiter pro quolibet subiecto communi.

*Sophista plus appetit apparenter esse sapiens & non existenter quam existenter, & non apparenter, 1. Elench.)* Inteligitur quod Philosophus vult tantum, quod proprium sophisticae est apparere, & non existere.

*Solius est Metaphysici de quidditatibus omnium rerum considerari, 6. Metaph.)* Respondetur verum est in communi, non autem in particulari. Hominem enim, terram, aliasque res naturales quidditative considerat Physicus.

*Si hoc verbum Est, purum dixeris, ipsum quoque nihil est, 11. de Interpretatione.)* Inteligitur si hoc verbum Est pure dixeris, id est solitarie, ipsum quoque nihil est, id est, nec significat vere nec false. Alii autem habent aliam auctoritatem sic, Nec hoc verbum Est purum dixeris: & tunc inteligitur sic, non ita quod si hoc verbum purum dixeris, quod ipsum nihil sic significet, immo aliquid significat: sed quia significat quandam compositionem, quam tamen sine extremis non est intelligere, ideo merito dicitur, nihil significare.

*Singularia sunt sensui propinquiora, 1. Poster.)* Contra dicitur ibidem, quod universalia sunt notiora singularibus; Dicitur quod intellectus cognoscit primo sub conceptu singulari magis tamen vago vel communi, ut prius cognoscat aliquid, esse quoddam animal quam quendam hominem.



nem, & prius quendam esse hominem, quàm esse hunc hominem.

*Semper honorabilius est agens patiente, & principium, id est, causa efficiens nobilior est quàm materia, de Anima tex. com. 19.)* Intelligitur propositio de similibus in forma, & gradu formæ & etiam secundum potentiam nam actio insequitur multitudinem formæ, & multitudo formæ insequitur multitudinem materiæ. Alio modo glossatur de passio respondente ipsi agenti, quia non oportet absolute quodlibet agens nobilius esse quolibet passio, nam certum est, quod sensitivæ animæ virtutes sunt passivæ, ut patet in secundo de anima tex. com. 51. virtutes animæ nutritivæ sunt activæ, non tamen dicimus illas esse nobiliores simpliciter virtutibus sensitivis, &c.

*Separatur autem hoc ab hoc, sicut perpetuum à corruptibili, 2. de Anima.)* Intelligitur sic, Potentia intellectiva separatur ab aliis potentiis tanquam perpetuum à corruptibili. Alij autem dicunt, quod Philosophus comparat ibi potentiam intellectivam in homine ad animam sensitivam in animali bruto, & vegetativam in plantis: & sic est verum quod intellectus separatur à vegetativo & sensitivo, tanquam perpetuum à corruptibili: non tamen est verum prout illæ potentiæ sunt in uno subjecto, scilicet in homine. Sed alij intelligunt sic, separatur autem hoc, id est, intellectus divinus ab hoc, id est, intellectu humano, tanquam perpetuum à corruptibili. Etsi enim secundum rei veritatem intellectus humanus sit incorruptibilis, tamen fortè secundum Arist. corruptibilis est, cuius tamen error nos nihil debet morari.

*Substan-*



*Substantia non fit ex non substantiis, 1. Phy. tex. 82.)* Ratio est, alioquin substantia vel fieret ex nihilo vel accidente, & sic accidens esset prius substantia, vide Aristot. 7. Metaphysicorum. text. 4.

*Si unum contrariorum fuerit in rerum natura, oportet quod sit reliquum, 2. Cœli text. 18.)* Vera est propositio de contrariis positivis, quæ sunt ad perfectionem universi, nam universum in quolibet hora completum & perfectum est; Unde omnes species quæ sunt ad perfectionem universi semper actu sunt in universo. Licet enim apud nos in hac hora cum sit hyems, non sint rosæ, tamē in alia regione in qua in hac hora est ver, bene reperiuntur rosæ, sed fallit hoc in privativè oppositis, quia non sequitur, in rerum natura est plenum, ergo in rerum natura est vacuum, neq; sequitur est finitum, ergo erit & infinitum. Aliter pronuntiatur & limitatur hoc modo:

*Si unum contrariorum fuerit in natura, erit reliquum.)* Respondetur verum esse in positivis, & secundum physicam considerationem, non secundū logicam. Similiter licet generatio & corruptio sint inter se contraria, non tamen convertitur, quod ubi est contrarietas, ibi fit generatio & corruptio, quia in cœlo est contrarietas secundum rarum & densum, & non est ibi generatio neque corruptio, vide Simplicium in 2. cœli. super hunc textum & tex. 41.

*Simpliciter id melius est magisq; eligendū quod melior disciplina eligendum precipit, 3. Top. ca. 1.)* Ut quod moralis Philosophia, quàm quod Medicina.

*Sensus est quedam alteratio, 2. de Anima.)*

N

Respon-



Respondetur quod sensus sive sensatio est quaedam alteratio salvativa.

*Sola Metaphysica est scientia communis, 1. Metaph.*) Respondetur quod Philosophus ibi considerat scientiam esse communem, ratione principiorum vel objectorum, & sic respectu aliarum scientiarum, Metaphysica utique est communis, quia considerat communiora.

*Sophisticus, Dialecticus & Metaphysicus versantur circa idem: quia dicit Commentator, Metaphysicus & Dialecticus conveniunt in subiecto*) Respondetur quod verum est, quia conveniunt in subiecto naturali, sed tamen differunt in subiecto formali. Unde Metaphysica formaliter & de per se, sive principaliter considerat ens, in quantum ens, sed Sophisticus & Dialecticus considerant ens rationis per se & principaliter, & sic ex consequenti ens considerant, & sic conveniunt in subiecto naturali, & hoc modo non est inconveniens, idem a pluribus considerari.

*Sicut res habet esse, ita etiam habet cognosci, 4. Metaph*) Intelligitur uno modo, sicut res habet esse per causam, sic etiam habet cognosci per causam. Sed tamen non convertitur sic, quod res habeat esse sicut cognoscitur, cognoscitur enim universaliter, non tamen habet esse universaliter: quia omne quod est ideo est, quia unum numero est; ut patet per Boet.

*Sola species definitur, per Boetium in lib. definitionum.*) Verum est, sola species definitur tanquam definibile propinquum definitione quidditativa & essentiali, licet genus & individuū possint definiri tanquam definita remota. Dicitur etiā hoc respectu æquivo.



æquivocorum, quæ ut sic, non sunt alicuius speciei, & proinde etiam ut sic non definiuntur.

*Sublata quacunque parte integrante, tollitur totum. Ax. Dialect. in Top.)* Verum est si accipiatur nomen totius, pro toto integro quæ totum integrum est. Nam si accipiatur pro re, cui attribuitur integritas, non quæ integra est, falsum est. Verbi causa, si Socrati abscissus est digitus, licebit colligere, Socratem non esse integrum. non tamen rectè colliges, Socratem non esse: quia Socrates & si integer sine digito non est, potest tamen sine digito in rerum natura coherere. Quare si latè volueris accipere nomē totius, hanc moderationē adhibeas necesse erit, ut nomen partis integrantis accipias pro parte necessaria (qualis est in Socrate caput aut pectus, nō pro quacunq; sine discrimine. Quacunq; enim parte necessaria sublata, omnino tollitur res, cuius vita est pars. Hinc dissolvitur illud: Quædā pars hominis candidi non est candida (ut pote pupilla) igitur homo candidus nō est candidus. Sic enim occures, Rectè sequi hominē candidū nō esse totum candidum, cum aliqua eius particula sit non candida: non tamen rectè colligi, hominē candidum non esse candidum. Hoc enim non efficietur, nisi, qui argumentatur, ostendet non esse maiorem hominis candidi portionem omnino candidam, quæ tamen omnino candida esset debet, ut ille sit candidus.

*Solius substantiæ est definitio, 7. Metaph.)* Respondetur, solius substantiæ est definitio quidditativa, essentialis, propria, non tamen voluit negare Philosophus, quin accidens possit defini per additamentum suæ substantiæ, sicut enim non habet esse proprium sive per se, more substantiæ, sed esse quoddam dependens à substantia, ita definitionem cum additamento.

N 2

Substantiæ



*Substantia prior est accidente, tempore, natura & definitione, 7. Metaph. tex. 4.)* Ratio cum accidens per se non subsistat, necessario præsupponit substantiam. Hoc autem intelligendum est, vel de accidente terminato (nam quantitas interminata secundum Averr. præcedit omnem formam substantialem) vel de substantia latè sumpta. Nam licet quantitas interminata sit naturâ prior forma, naturâ tamen posterior est materia prima.

*Sensus visus præ omnibus sensibus diligitur, in præmiis Metaph.)* Intelligitur respectu scientiæ & secundum repræsentationes, quas faciunt sensus secundum se, tunc sensus visus præ omnibus diligitur, quia plures differentias rerum nobis ostendit, V.g. non solum corpora inferiora, sed etiam superiora illa & cœlestia. Deinde quia clariùs & remotius plures res sunt sensibiles per visum, quàm per alios sensus. Denique cum minori difficultate nobis visus repræsentat quàm alii sensus.

*Secundum sensum tactus nos discernimus sapientes ab insipientibus, 2. de Anima.)* Et subditur ratio ibidem, quia molles quidem carne, aptos mente dicimus, & sic Philosophus non vult quod simus sapientes secundum tactum: sed vult quod secundum tactum tanquam signum dicimus dispositos & aptos ad scientiam. Hoc autem est verum de mollicie orta ex bonitate temperamenti, five de mollicie sanguinea, non de mollicie illa phlegmatica, quæ est in mulieribus.

*Similia sunt quorum qualitas est una, 5. Met)* Et sic sequeretur quod terminus vocalis non significaret terminum scriptum, quia non habent qualitatem



tatem unam, nec similitudinem. Respondetur quod tametsi terminus vocalis, terminus scriptus; non sint similes qualitate, vel etiam similitudine quadam reali, sunt tamen similes qualitate vel similitudine representationis, & sic unus alium significat. Porro non debet esse una numero qualitas in similibus, sed satis est quod sit una specie.

*Scientia est de numero perpetuorum, 1. Poster.)*

Hoc est, veritates quarum sunt demonstrationes & scientiæ, nunquam mutantur, nec mutari possunt. Semper enim triangulus habebit tres angulos æquales duobus rectis, semper compositum ex quatuor elementis, erit corruptibile, &c.

*Scientia dividitur in eam quæ utilitatis, & in eam quæ cognitionis causa quæritur.)* Respondetur quod Philosophus ibi distinguit scientias in speculativas & practicas: & practicas quidem dicit esse, quæ pro fine habeant opus, & utilitatem speculationis quæ cognitionem, non quod ista quoque cognitio non sit bona & ordinabilis in bonum, & hoc nomine utilis, sed quod non habeat pro fine opus, nec ita pertineat ad necessitatem vitæ istius communis, sicut scientia practica.

*Species rerum habent se sicut numeri, 9. Meta.)*

Intelligitur quod sicut numerus denarius additur alteri numero, & tunc resultat una nova species numeri, ut addendo decem ad decem erunt viginti, & addendo unum ad tria, erunt quatuor: sic simili modo, quando uni speciei additur aliquid essentialiale, quod non est de essentia illius, resultat alia species.

*Subiecti non est demonstratio, 1. Poster.)* Intelligitur quod nulla scientia habet demonstrare suum subiectum esse, sed præsupponit illud. In omni scientia,



ut habetur primo Posteriorum de subiecto præsupponitur, quid nominis, & an sit, sed quid rei investigatur, & qualis sit res per demonstrationem ostenditur.

*Sensus est singularium, intellectus vero universalium, 3. de Anima.*) Respondetur sensum esse, non quod intellectus non etiam intelligat singularia, sed quod solus universalia & universaliter. Hoc enim non potest sensus, sed sola cognoscit singularia & singulariter. Brevius dici potest hoc axioma sensus est duntaxat singularium, intellectus non tantum singularium est, verum etiam universalium.

*Substantia non est idem cum accidente, 1. Top.*) Intelligitur essentialiter, quia accidens & suum subiectum faciunt quidem unum numero, sed deper accidens, ut patet septimo Metaphys.

*Si pulcher es, lauda naturam, si dives, lauda fortunam, si sapiens es, lauda teipsum. Seneca.*) Sententia hæc ex toto non est vera: Imo si sapiens es, principaliter lauda naturam. Nam ut inquit Victorinus, natura facit habilem, ars facilem, usus vero potentem.

*Scientia secatur, quemadmodum & res, 3. de anima tex. com. 38.*) Propositio hæc veritatem habet de scientia nostra, quia de illa loquitur Arist. Fallit autem de scientiis DEI & intelligentiarum, quia scientia in Deo & intelligentiis non dividitur secundum divisionem, quæ datur per potentiam & actum, nec per universale & particulare, sed scientia in intelligentiis dividitur secundum diversitatem scientiarum, &c. Scientia Dei de entibus est, tali modo, quali nulla aliarum intelligentiarum particeps esse potest, quia entia nihil diversum sunt à scientia DEI, ut in illa contineatur, & nul-



& nullibi ens simpliciter omnibus modis est idem cum intellectu scientis, sicut in primo principio.

*Si predicatum sequitur subiectum, incrementum predicati sequitur incrementum subiecti: Quod si predicatum non sequitur subiectum, nec incrementum sequetur incrementum. Quod quidem sic efferi solet, Ut simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis, & maximum ad maximum, 4. Top. ca. 3.)* Ut si maior virtus est melior aut maxima optima, virtus utique est bona. Est enim par ratio, Quod si major non esset melior, aut maxima optima, nec virtus omnino esset bona. Item, ut si bonum honestum est per se bonum, honestius melius, & honestissimum optimum. Et si facere injuriam malum ex se est, majorem facere peius, & maximam pessimum; Limitatur tamen axioma, quod intelligi solet in predicatis quæ per se dicuntur de subiectis, Alioquin non usquequaque veritatem continent. Nec enim rectè dixeris, maior vini usus est peior, aut maximus pessimus, igitur usus vini est malus. Nec item, Exercitatio corporis est bona, igitur maior est melior, & maxima optima. Causa est, quia nec maiori usui vini convenit per se, ut sit peior, aut maximo, ut sit pessimus: Nec exercitatio corporis est per se aut ex se bona, sed per accidens (sic non efficitur ut maior sit melior & maxima optima) alioqui omnis exercitatio corporis esset bona, & omnis vini usus malus.

*Si infinita puncta concurrerent, lineam non facerent, 1. Cæli.)* Respondetur quod Philosophus loquitur de punctis indivisibilibus, & sic vult; Si infinita

N 4

puncta



puncta indivisibilia concurrerent, lineam non facerent. Quod verum est, ex indivisibilibus enim divisibile non componitur, licet continuetur.

*Separatio formæ à materia, est eius corruptio, 4. Phys. )* Respondetur quod Philosophus loquitur ibi de forma, quæ est educta de potentia materiæ ut est forma bruti.

*Solius incomplexi est definitio, 6. Topic. )* Respondetur, verum est de definito propinquo non autem remoto.

Simile non patitur à simili, 1. de generatione text. 46.

Si est turpe, non posse defendere se corpore: turpius est, non posse defendere se sermone, 1. Rhetor.

Simpliciter dico, quod nullo addito dico, 2. Top. ca. 30.

Simpliciter notum, non est quod ab omnibus notum est, sed à benè dispositis intellectu, 5. Top. cap. 4.

Semper sunt ponenda vera discenti, 8. Top. cap. 1.

Scientes universale, sæpè ignorant ipsum singulare, 1. polit. tex. 30.

Sentire, est singularis: sed sensus est universalis, 2. post. tex. 27.

Scientiarum alia, est perfecta, quæ est per causam: alia imperfecta, quæ est sine causa. ibid. com. 1.

Si possibile esset cælum quiescere, possibile esset nos esse in esse non transmutabili, 4. Physic. com. 98.

Sedendo & quiescendo, anima fit prudens, 7. Phys. tex. 20.

Substan-



Substantia est dignior accidente, 2. de an. com

2. Stellæ, non videntur de die, propter lumen so-  
lis. ibid. com. 7 2.

Sensus, semper dicit verum in particularibus,  
sed non in universalibus: intellectus autem, è con-  
verso. ibid. com. 1 5 2.

Sicut probis, probitas est præmium: ita malis,  
nequitia est supplicium. Boeth. 4. de Con-  
sol.

Solutio dubitationis, est inventio veritatis. 7.  
Ethic. cap. 4.

Surgere de nocte, ad sanitatem, & ad Philo-  
sophiæ studia prodest quam plurimum lib. Oe-  
con.



## I.



**I** VNCcognoscimus unumquodque cum  
omnes ejus causas cognoscimus, 1.  
Phys. tex. 1. idem 10. Poster. cap. 2.  
& 2. Poster. cap. 11.) Propositio  
intelligenda est de cognitione rei  
perfecta simpliciter & de causis per se: Et ratio est,  
quoniam sicut se habet res ad esse ita ad cognosci.  
2. Metaph. tex. 40. Ad producendum autem esse  
cujuslibet rei concurrunt omnes causæ, tam pro-  
pinquæ quam remotæ. Hinc collige nullam rem  
posse perfectè sciri per unam scientiam tantum, sed  
vel ex parte, vel secundum aliquam considerationem  
solum.



*Tantum uni unum opponitur. 1. (æi iεμλωείας.)* Intelligitur in eadem specie oppositionis, quia in diversis speciebus non est inconueniens, quod uni plura opponantur.

*Tantum duo sunt elementa. 5. Metaph.)* Intelligitur, Tantum duo sunt elementa, id est, principia prima vera, scilicet materia & forma: quatuor autem sunt elementa vocata, scilicet aer ignis, aqua & terra. Hæc enim quidam antiqui prima rerum principia posuere & vocavere, licet non essent prima, sed ex primis illis, materia & forma constarent.

*(Tale additum suo tali, facit ipsum magis tale, 3. Top. cap. 9.)* Intelligitur de qualitatibus positivis & naturalibus sic, quod qualitas positiva addita qualitati positivæ ad idem subjectum, faciet illud magis tale. Et dicitur (positivis) quia in privativis non est verum, ex quo una negatio addita alteri, ejus virtutem non fortificat, sed magis interimit: etiam intelligitur de tali, quod non est infinitum. Id quod notanter dicitur propter perfectionem Dei quæ est infinita, & ideo etiam nihil potest illi addi, quod faciat ipsum magis tale

*Triplex est substantia scilicet forma, materia & totum compositum. 2. de Anima & 8. Metaph.)* Et sic Philosophus videtur velle, quod materia & forma distinguuntur contra totum compositum: & videtur esse contra eum. 1. Phys. ubi dicit quod totum est suæ partis. Respondetur quod Philosophus distinguit materiam & formam, & totum compositum divisim sumpta, & non conjuncta. Sed illa authoritas Philos. 1. Phys. intelligitur quod totum nihil aliud est, nisi suæ partes conjunctæ vel simul sumptæ.

*Ternarius*



*Ternarius est prima multitudo, 1. Phys.*) Et sic videtur quod duo non sunt multa. Responderetur quod Philosophus vult, quod ternarius est prima multitudo excedens alium numerum, & sic est verum.

*Theorica finis est veritas practicae vero opus, 1. Metaph.*) Responderetur quod Philosophus loquitur de operatione quae fit extra, licet igitur logica & aliae artes etiam operantur dum speculantur, id tamen est ab intra.

*Tunc unumquodque est perfectum, cum tangit propriam virtutem, 7. Phys.*) Responderetur quod Philosophus vult quod unumquodque maximè est perfectum, cum attingit debitum gradum, & extremum perfectae virtutis sibi convenientis.

*Tempus non est motus, 4. Phys.*) Responderetur quod Philosophus vult, quod illa non est praedicatio essentialis. Tempus est motus, sed bene accidentaliter & convertibilis, quia cum dico tempus est motus, subjectum praedicatur de propria passione.

*Tempus est ubique, 4. Phys.*) Intelligitur commensurativè, quia omnis successio mensuratur tempore.

*Tempus non est numerus, quo numeramus, 4. Phys.*) Verum est capiendum numerum pro numero numerante principali, & etiam instrumentali intrinseco, scilicet ratione animae discretivae, licet sit numerus extrinsecus, scilicet res cognita subiecta mensurae, secundum quam anima venit in cognitionem mensurae minus notae.

*Tempus est sensibile ratione consequentiae, eo quod tempus est motus: sed motus est sensibilis, consequentia*



*consequenter ergo tempus. 2. de Anima.)* Duplex est esse temporis secundum commentatorem, scilicet formale & materiale. Formale est ratio discretiva animæ, materiale est motus. Modò authoritas est vera, quo ad esse materiale.

*Tactus est in carne, 2. de Anima.)* Contra dicitur in 2. de partibus animalium, quod sensorium tactus est aliquid aliud intus existens, &c. Respondetur sensorium tactus totum & adæquatum, etiam apud Aristotelem esse triplex, scilicet, cor, nervum & carnem, cor ut originem primam facultatis sensitivæ & tactivæ, verum ut hanc facultatem participans & deferens carnem, ut quiddam hanc facultatem, licet non perinde deferens à corde, tamen etiam participans. Ad illud igitur ex 2. de partibus animalium dicitur, Arist. loqui de organo primario vel de organo non tam participante facultatem sensitivam seu factivam, quam deferente. Et tunc verum est carnem non esse organum tactus, sed cor vel nervos.

*Terra est res quiescens, per Commentatorem qui dicit: Si omnes Dij descenderent, non possent movere terram.)* Intelligitur secundum se totam, licet moveatur secundum partes, quia quotidie alteratur secundum suas partes, immò etiam movetur localiter secundum quasdam partes.

*Terra est in aqua, tanquam in loco proprio & naturali, 4. Phys.)* Respondetur quod Philosophus habet ibi modum loquendi vulgarium, secundum quem modum id dicitur esse in alio, cujus maior pars secundum se, & quamlibet sui ab alio circumdatur; & sic terra est in aqua: tamen non habet unum locum proprium, qui esset aqua tantum, vel mare tantum.

Totum.



*Totum non cognoscitur ignoratis partibus, quib. constat, 1. Phys. tex. 35.) Ratio est quia sicut se res habet ad esse ita ad cognosci. Ex partibus autem resultat esse totius. Si igitur fuerit totum essentialē & secundum qualitates, ut ait Averr. debent fieri partes ejus essentialēs ut materia & forma. Sin autem fuerit totum secundum qualitatem debent fieri partes ejus non communicantes, id est, quæ situ distinctæ, ac separatæ sunt, & una est extra aliam.*

*Totum sapit naturam suarum partium, communis propositio.) Verum est, quo ad significatum, non autem quo ad modum significandi.*

*Totum & perfectum sunt penitus idem, 2. Phys. & 4. Metap.) Intelligitur quando totum capitur categorematicè, & non quando capitur syncategorematicè.*

*Turpe est ignorare, quod omnibus scire convenit. ibidem.*

*Tristitia, corrumpit naturam habentis. 3. Eth. cap. 15.*

*Turba multa, melius judicat, quàm unus tantum. 3. Polit.*

*Triplex est bonum, animæ, corporis, & boni extrinsecus adveniēns. 7. Polit.*

*Tempora maximè distinguuntur per motum solis. Plato in Timæo.*

*Tam triste est à turpibus laudari, quàm ob turpia laudari. Sen. de contin.*

*Vnius*





## V.



**V**IVS rei tantum una est natura, per  
(*Commentatorem, 1. Cæli.*) Intel-  
ligitur quod una natura est producti-  
va unius duntaxat motus, & non  
diversorum, secundum speciem distin-  
ctorum; Interim sicut possunt unius  
rei plures esse naturæ, quarum una est productiva  
motus ut forma, & alia subjectiva ut materia.

*Vnum & multa opponuntur, 2. Metaph.*) Et  
sic sequeretur, quod termini de Pradicamento  
quantitatis contrarientur contra Philos. dicentem  
quantitati nihil esse contrarium. Respondetur q̄  
hic æquivocatur oppositio, accipitur enim large  
pro qualibet re pugnantia

*Universale est unum in multis, & unum de multis,*  
*1. Poster.*) Intelligitur sic, universale est unum in  
multis, sicut superius in suo inferiori, vel est unum  
in multis significativè. Multa enim in significat se-  
cundum unam communem rationem, & est unum  
de multis, id est, prædicatur de pluribus.

*Universale nihil est, aut posterius est suis singula-  
ribus, 2. de Anima.*) Intelligitur universale in esse  
secundo secundum imaginationem Platonis nihil est,  
ut autem importat conceptum communem unius  
rei ad alios, sic posterius est rebus singularibus, à  
quibus causatur. Cuni enim multa individua consi-  
derantur ab intellectu, quatenus similia in natura  
humana, non divisibilia ac variabili per aliquas  
differentias essentielles, sed accidentales, mox istā  
considera-



considerationem consequitur ratio universalis respectu naturæ humanæ, nempe ratio speciei. Itempe sicut si quis vertat faciem ad speculum, naturaliter ibi ejus species apparet, ita rem objective dicto modo existentem in intellectu, naturaliter consequitur aliqua talis proprietas intentionalis, vel aliquod ejusmodi ens rationis, genus, species, &c.

*Vsus rei cujus est bonus, id bonum est, & : Vsus rei alicujus si est malus, id malum est. Ax. Top.)*

Limitatur quod sit verum, si intelligatur usus rei, quam ipsa per se, atq; ex natura sua sibi vendicat: (ut E. G. sophisticè pernicioza est, quia usus ejus est per se perniciosus, cum decipiat homines atq; deludat, &c.) alioqui ex malo usu Jurisperitiæ, aut Medicinæ, aut Eloquentiæ (quibus multi abutuntur ad aliorum perniciem) licebit concludere, has artes esse perniciosas: contraq; ex bono usu illatarum injuriarum, odij, & inimicitiarum (quas prohi homines patienter sustinent) licebit colligere, injurias, odia, & inimicitias esse res bonas: quod absurdissimum est. Hoc cum non animadvertant cæci hæretici nostri temporis, ex abusu sacerdotij, Pontificatus, & aliorum sacrorum ministeriorum ac piorum exercitiarum Ecclesiæ, quo non pauci notantur & arguuntur, colligunt quasi ex proprio harum rerum usu, tollenda omnino esse de medio hæc sacra ministeria & pia exercitia. Quod quanta sit absurditate, ac cæcitate plenum dici non potest, quia una excepta virtute (qua sola nemo qui ea præditus, sit, malè uti potest) nulla res adeo est bona & excellens; ut ea pravî homines abuti non valeant.

*Virtus moralis in medio consistit quò ad nos, determinat*



*determinata ratione 2 Eth. cap. 6.*) Hoc est virtutis medium non est rei sed rationis, quod verum est causaliter & effectivè, non autem essentialiter, quasi ipse actus rationis ad medium reducatur: Et ratio est, quoniam virtus moralis non perficit actum rationis, sed actum virtutis appetitivæ, Et ideo per ea ipse actus rationis non reducitur ad medium. Et pro uberiori intelligentia hujus axiomatis nota quod medium rationis in materia virtutum est facere opus quando oportet, & pro ut oportet secundum regulam prudentia præscriptam; sic ut nec excedat nec deficiat; excessus verò est operari opus quando non oportet, & sicuti non oportet, ubi affirmatur materia & negantur circumstantiæ: defectus vero est, quando negatur materia, & affirmantur circumstantiæ, ut non delectari quando oportebat delectari. Medium vero rei est æqualitas à parte rei determinata: si enim debes centum, & restituas centum, servasti medium rei: nam centum sunt æqualia aliis centum. Et hoc medium rei est duplex. Arithmeticum, quod in æqualitate duarum qualitatum consistit. Secundum est Geometricum, quod in æqualitate proportionum consistit, quod semper servatur à justitia distributiva: habet enim in officio justitia distributiva, distribuere unicuique secundum propria merita V. g. si dux in bello debet distribuere bona parta militibus. Oportet ut observet istam proportionem, quod reddat unicuique militum secundum propria merita.

*Vnius cause tantum unus est effectus, 1. Poster.*)  
Intelligitur, Vnius causæ eodem modo se habentis, respectu ejusdem causati, est unus effectus: quia causæ diversimodè se habentis, aliquando sunt plures effectus,



res effectus, scilicet unus mediatus, alius immediata-  
tus.

*Universalia sunt difficilima ad cognoscendum, eo quod sunt à sensibus remotissima, in procemio Metaph.)* Solet glossari communiter de universalibus in causando, quemadmodum est, Deus & intelligentia; talia namque entia abstracta, cum à sensibus sint remotissima, sunt difficilima cognitu.

*Universale est ubique, 1. Poster.)* Intelligitur de universali in causando, & tale est Deus gloriosus, similiter dicitur quod universale in predicando est ubique, scilicet quatenus tale non determinat sibi hic & nunc, sed abstrahit ab huiusmodi conditionibus individuantibus.

*Universale est causa suorum singularium, 1. Poster.)* Respondetur quod Philosophus ibi loquitur secundum opinionem Platonis, qui dixit, quod universale est quidditas singularium,

*Universale est aeternum & incorruptibile, 1. Post)* Intelligitur quod propositio universalis posterioristica, est aeternae veritatis: Vel sic, quod ex terminis universalibus potest constitui propositio aeternae veritatis.

*Universalia sunt notiora singularibus, 1. Phyl.)* Respondetur quod Philosophus loquitur ad hunc sensum, videlicet quod universalia, id est, magis confusa, sunt notiora singularibus, id est, minus confusis, vide supra in litera A. axioma illud, Ab universalibus proceditur.

*Universalia per se existunt, 5. Metaph.)* Non quod substant seorsim ut Platonici delirarunt, sed quod ut talia, non sint hoc aliquid, & proinde etiã non recipiant

O

recipiant



recipiant hoc vel illud accidens, ita ut unum universale respectu alterius posset dici idem, vel diversum alteri secundum accidens. Nani de eodem & diverso ibi agit Aristoteles.

*Vbiunq; est sensus, ibi est appetitus, 2. de Anima.)* Intelligitur secundum Themist. de appetitu concupiscibili, qui est appetitus convenientis & delectabilis, non autem intelligitur de appetitu irascibili & intellectuali.

*Vbi maximus intellectus, ibi minima fortuna, per Boet.)* Et ratio authoritatis est, quia hominibus intelligentibus & magis sapientibus, minus veniunt effectus fortuiti, quam insipientibus, eò quod sapientes semper agunt cum deliberatione, & ideo pauciora ipsis accidunt præter intentionem.

*Visus & illuminatio fiunt in instanti, similiter & delectatio, 2. de Anima, & 10. Eth. In oppositum est Philosophus in libro Meteor.)* Cui opposito suffragatur ratio, quia quando debet fieri illuminatio mediæ de novo, oportet hoc fiat per applicationem lucidi ad medium, & per generationem novi lucidi & per privationem obstaculi, modo ista non possunt fieri in instanti. Respondetur ergo quod visus illuminationem & delectationem, quantum est de se, non repugnat fieri in instanti. Unde si per impossibile totum medium applicaretur in instanti, utiq; lumen in instanti produceretur in eo. Sed quia totum medium non potest per potentiam naturalem applicari in instanti: ideo per potentiam naturalem illuminatio totius mediæ non potest fieri in instanti. Attamen eius spatii seu mediæ quod recte applicatur, illuminatio tota & perfecta fit in instanti. Non sic calefactio



factio aut alia similis alteratio. Quia etsi quippiam benè applicetur igni, nō tamen in instanti perfectè calefit, sed paulatim & successivè.

*Vnum & idem ens est naturale & artificiale, 2. Phys. )* Intelligitur respectu diversorum.

*Virtus perfectio quædam est. Vnumquodque enim tunc maxime perfectum est cum adeptum est propriam virtutem, & maxime secundum naturã. Vitium autem corruptio horum, & remotio est, 7. Phys. tex 18. )* Profecto magna virtutis laus. Tūc dicitur completus homo, cum virtutem habet, tunc diminutus, cum vitium.

*Virtutem moralem in voluptatibus, & tristitiis esse accidit, 2. Eth. )* Intellige in domandis passionibus appetitus. Nota hīc, quod Stoici tunc esse virtutem putabant, cum nullus est in sensu appetitus motus, nec passionis ullius insultus, & ideo impossibilitates eas vocabant, quasi ex tali passionum negatione insurgerent virtutes. At peripateticorum virtutem esse existimabant, cum passiones & motus sensuum secundum rationem frenati sunt: Unde licet insurgant contra rationem, tamen à ratione superantur, & eas moderatur ratio.

*Vno inconvenienti dato, alia contingunt, 1. Phys. tex. 21. & 22. )* Id est, ex uno dato & concesso absurdo, multa alia sequuntur; Vel ex uno falso dato multa absque difficultate procedunt.

*Vni unū dicitur esse contrariū, 10. Metaph. tex. com. 14. )* Respondens Alexander dicendo q̄ quando hoc sumitur simpliciter sic uni unum est contra-

O

2

rium



rium, sed quando non intelligitur simpliciter, non inconvenit uni plura esse contraria, nam aliquid secundum aliud & aliud, licet numero sit idem, potest plura habere contraria. Nam eadem nix numero, & alba & frigida est, & habet calorem & nigritiam contraria, respectu alterius & alterius.

*Vnum subjectum unam habet formam, Averr. in lib. de substantia orbis. Et ratio, quia unus rei est unum esse.*) Limitatur propositio quod intelligatur de forma substantiali in esse completo, quia per talem formam substantialem, res est hoc aliquid & in actu, 2. de Anima tex. com. 2. Et ideo quicquid advenit tali enti in actu est accidens.

*Virtutes sunt fortiores in dextera parte, quam in sinistra, per Philosophum in Problem.*) Super hoc problema fundatur ratio, quare anima incipiat motum à parte dextera, & non sinistra, dicendum verò quod dictum hoc intelligendum sit de virtutibus motivis, non autem cognitivis, ut cuius facile patet.

*Virtus est habitus, qui habentem perficit, & opus ejus laudabile reddit, 2. Eth.*) Sensus est quod virtus reddat opus bonum non principaliter. Sed dispositivè: quia disponit voluntatem semper ad bonum, ut promptè & delectabiliter illud operetur. Nihilominus voluntas ex sua potentia etiam potest elicere bonum, sed non potest tam promptè & ita delectabiliter, sicut cum virtute.

*Virtus consistit in divisibili, 2. Top.*) Respondetur quòd Philosophus loquitur de virtute perfecta.

*Virtuosus & sceler non operantur odibilia & mala, 1. Eth.*) Respondetur quòd Philosophus non vult quòd virtuosus nullo modo possit operari mala &



la & odibilia : sed vult quod raro nec de facili, tanto enim rarius & minus faciliter, quanto in virtute est magis formatus & perfectus.

*Vnum quodq; dividitur in ea ex quib. est. 6. Phys. tex. 3.) Vnus est tantum Princeps, 12. Metaph.)*  
 Ibi dicitur quod non valet pluralitas principum, & subdit Philosophus: Sit ergo unus Princeps, id est, unus est motor vel una causa prima. Sed Secundum fidem sic inteligitur. Vnus est tantum Princeps, id est, unus est Deus singularis in essentia, & trinus in personis, à quo cunctis donatum est esse, & vivere his quidem clarius, his obscurius, ut patuit in principio hujus libelli ubi dicitur, Ab hoc quidem ente dependet cœlum & tota natura, ab hoc ente, id est, à Deo, qui sit benedictus in secula seculorum,  
 AMEN.


F I N I S.


















AB:  $\frac{46}{10}$   $\frac{3}{18}$


X 2199799







Rev  
**BE**  
 BY  
 P  
**EX**  
 aliisq;  
 summo  
 phabe  
 NVN  
 usum



**Farbkarte #13**

**B.I.G.**

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

